



**Succincta demonstratio ex verbo Dei et patribus, errorum  
cuiusdam confessionis Caluinisticae, recens per has inferioris  
Germaniae Regiones sparsae**

<https://hdl.handle.net/1874/424242>

SVCCINCTA  
DEMONSTRATIO  
EX VERBO DEI ET  
PATRIBVS, ERRORVM CVIVS.

dam confessionis Calvinisticae, recens per has  
inferioris Germania Regio-  
nes sparsa.

Authore Francisco Sonnio Theologo,  
Buscoducensi Episcopo.

Verbum Dei vitæ Evangelicæ ratio.

Christus Lucæ 11. d.

Qui non est mecum, contra me est: qui non col-  
ligit mecum, dispergit.

David Psal. 116. a

*Veritas Domini manet in æternum.*



COLONIAE,  
Apud Theodorum Baumium.  
ANNO M. D. LXVII.



# AD RECTORES ECCLESIA RV M DIOECE- sis nostræ Buscoducensis.

**E**VM oculos diligenter cir-  
cumducimus lustrandi cau-  
sa ætates Ecclesiæ, charissimi  
fratres, in pascendo grege do-  
minico adiutores: perspicimus eā, post  
perditam innocentiam, nunquam si-  
ne grauibus fuisse afflictionibus, mali-  
tia fusissimè vbiuis locorū per orbem  
dominante. Siquidem olim sub infan-  
tiæ suæ fascijs dictum legimus: Corru- *Gen. c. b.*  
pta est terra coram Deo, & repleta ini-  
quitate. Rursū cū sub pœdagogia age-  
ret legis: Non est, inquit Dauid, qui fa- *Psal. 13. a.*  
ciat bonum, non est vsq; ad vnum. Ex-  
inde cum porro viri mensuram attinge-  
re cœpisset, Ioanne Apostolo adhuc su-  
perstite, dixit ipse: Mundus totus in ma- *1. Ioan. 3. d.*  
ligno positus est. Et vergentibus cun-  
ctis, quę mundi sunt, ad occasum, quan- *Matt. 24. b.*  
do abundabit iniquitas, & refrigescet

non  
A 2 mul-



## E P I S T O L A

multorum charitas, an non incipiet tū tribulatio esse quam maxima, qualis ab initio non fuit? Perspicimus nihilominus & hoc: Nullo vnquam tempore sub vllis calamitatibus defuisse ecclesiæ manum adiutricem Dei, & præsidij opẽ, quantū electis saluãdis satis esset.

Gen. 6. & 7

Exod. 14.

Mat. 16. c.

A diluuiο enim mundi eripuit eam dominus, vniuersis impijs submersis. Iterū de dura seruitute Ægyptiaca liberam reddidit, illis similiter gurgite maris rubri absorptis. Atq; post hæc continenter præseruauit, & etiam nunc præseruat ab oppressiōibus, quas vel tyranni foris, vel sectarij intus ingerere conantur. Quod plus est, pollicetur Christus in hunc modum: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebūt aduersus eam. Quasi diceret: etiamsi erumpat omnis Sathanica malitia valuis inferni latè patentibus, nequaquam tamen ad interitum eius fiet oppressio. Oppugnabitur quidem mille modis, sed non

## AD RECTORES.

non expugnabitur: lactabitur vndis in  
desinenter, & tempestatibus nauicula  
Petri: non autem submergetur, Christo Lu. 22. c  
promittente: Ego pro te rogaui Petre,  
vt non deficiat fides tua. Rom. 8. c

Quinimo scimus ex verbis Pauli:  
Quoniam diligentibus Deum omnia  
(fausta, infausta, prospera, aduersa) co-  
operantur in bonum, his qui secundum Iob. 34. d  
propositum vocati sunt sancti. Facit  
quidem Deus regnare hypocritam, sed Deut. 13. a  
propter peccata populi. Patitur subin-  
inde Pseudoprophetas irrepere, ac fal-  
sos doctores: sed vt palàm fiat, in-  
quit, vtrum diligamus dominum ex  
toto corde, & ex tota anima nostra.  
Et Paulus nòne clarè eloquitur: oportet 1. Cor. 11. d  
hæreses esse: vt qui probati sunt ma-  
nifesti fiant? Nouit utiq; Dominus pios  
detentatione eripere: iniquos verò in 2. Pet. 2. b.  
diem Iudicij reservare cruciãdos. Ma-  
ximè autem eos, qui sectas (vti subiūgi-  
tur) non metuunt introducere.

Nemo igitur vestrum conturbetur,

# E P I S T O L A

aut nimium metuat, nemo vllius desperationis voragine rapiatur: quasi cōclamatū sit, quod eruperint cumulati in has ditiones infestæ sectariorum turmæ. Sexcenties sic factum fuit alijs in locis orbis Christiani. Non perdūt illi, nisi filios perditionis, non pelliciunt ad deuia nisi voluntarios, acclamantes: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, scientiam viarum, domini nolumus, fiat exoptamus, quod scriptū est: Et non erat Rex in Israhel: sed vnusquisque faciebat, quod sibi rectum videbatur. Verū animæ quiores estote, vltra non videbitis Ægyptios istos seductores, de regionibus tenebrarum prodeuntes. Neque sobolem eius, qui aduersarius extitit doctrinæ veritatis ab initio. Dominus agit pro nobis. Iam enim dedit virum sanctum in summum Pontificem, qui nulla re angitur magis, quàm omnium Ecclesiarum solitudine. Iamq; misit in cor Regis Catholici, vt Belgas suos lustratum

ve-

Ioan. 17. b

Esa. 30. b

Iudi. 17. c  
& 21. b

## AD RECTORES.

veniat, sicuti venit. Non erunt exindè  
 (vt sperant impij) scopæ dissolutæ harũ  
 regionũ gubernatio tam ecclesiastica,  
 quàm secularis: sed virgulis strictiùs  
 colligatis probè expurgabũt quicquid  
 est errorum, difformati instituti, aut  
 rebellionis, palamq; loquetur, quæ vin  
 cit super omnia veritas. Nos quoque  
 verè paternum animum retinentes im  
 pendemus nos singulis vestrum ex ani  
 mo. Abfuimus quidem paululum tem  
 poris necessitate vrgente: at nunquam  
 absuit à corde nostro cura pastoralis,  
 quam omnibus pro officio Episcopali  
 debemus. Cumq; aliud non liceret, ad  
 calamum confugientes parauimus vo  
 bis non inefficax, eruditorũ iudicio, re  
 mediũ aduersus venena nunc temporis  
 multifariã propinata, diuẽdita, emptã,  
 hausta, publicè, priuatim, in horreis, in  
 templis, extra muros, intra muros, in  
 agris, in foro, insaniendi libidine supe  
 rante vires & auctoritatẽ eorum, qui  
 gubernant. Cum tamen ne in furtiuis

3. Esd. 3. b



# E P I S T O L A

quidem conueticulis, obscurissimisq;  
recessibus, id antea licuerit, omnib<sup>9</sup> ni  
mirum summa alacritate pugnantibus  
pro aris & focis. Primo pro aris, hoc  
est, pro religione tuenda, deinde pro fo  
cis, hoc est, pro reliquis perituris reb<sup>9</sup>.

Exhibemus verò dictum remedium  
modico quodam libello, ne tædio sit  
magnitudine; obnixè rogantes, vt qua  
synceritate datum est, eadem & susci  
pere, & transfundere, quisque in ani  
mos subditorum suorum, curetis. Qui

*Tract. 1. ad  
uersus De  
metrianū.*

enim ad malum motus est (vt inquit Cy  
prius) mendacio fallente. multò ma  
gis ad bonum mouebitur, veritate co  
gente. Quod concedere dignetur, qui  
sempiterni sacerdotij prærogatiuam  
super nos habet, intuens omnia, potes  
que diuinæ maiestatis suæ virtute red  
dere vnicuiq; iuxta laborem suum. Va  
lete, & nostri, in deuotis vestris oratio  
nibus ad Deum, subinde me  
mores estote.

*1. Cor. 3. b*

Datum Anno 1567. Martij 1.  
Franciscus Sonnius.  
S V C

# SVCCINCTA

## DEMONSTRATIO EX VER-

BO DEI ET PATRIBVS, ERRO-

*rum cuiusdam confessionis Calvinisticae, re-*

*cens per has inferioris Germaniae*

*Regiones sparsae.*

Architecti eiusdem Confessionis, in  
frontispicio libelli dicunt.

Impressum cum Gratia, & Priuilegio altissimi,  
Anno 1566.

Respondet veritas.



AEpè quidem simili teme-  
ritate loquentes audiui-  
mus: sed cunctos connume-  
randos censemus, cum so-  
bole eius qui Christi testi-  
monio, in ueritate non ste-  
tit. Olim iactabant Pseu-  
doprophetae se missos à

Ioan. 8. f

Deo, & ex ore loqui altissimi. At, inquit Dominus  
per Hieremiam: Falso Prophetae uaticinantur in no-  
mine meo, non misi eos, & non praecepi eis, neq; locu-

Hier. 14. c

17. b. c.

Ezec. 13. 2

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

tus sum ad eos. Præterea eiusmodi editiones à supremo magistratu prohibita sunt. Cui obluſtari quantum habeat periculi, uel in conscientia: etiamſi conminata pœnæ executio ceſſet, pulcherrimè exprimit Paulus ad Romanos dicens: Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt. Subdit paulò inferius: Ideoq; neceſſitati ſubditi eſtote, non ſolum propter iram: ſed etiam propter conſcientiã. Ad hæc rogat inſtanter in fine eiusdem epiſtolæ, ut incolæ Romani obſeruent eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam uos, inquit, didiciſtis faciunt, & declinatæ ab eis. Teſſalonicenſibus autem per authoritatem denuntiat, ut ſubſtrahant ſe ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis. Tam igitur abeſt à uero libellorum (quibus talia aperto ſermone multisq; cohortationibus docentur) editionem fieri, cum gratia & priuilegio altiſſimi ut per eam Dei ordinationi, Apoſtolicisq; ſcriptis reſiſtatur, & ſibi damnationem authores eius acquirant.

Rom. 13. a.

Rom. 16. c

2. Theſſ. 3. b

Architecti dicunt in primo Confessionis ſuæ articulo,

Qui



# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Qui non habitat (loquētes de Deo) in templis manufactis. Annotantes in margine Esaie 66. Acto. 7.

## Respondet veritas.

Hoc loco tacentur aliæ scripturæ clarè asserentes Deum habitare in templis manufactis, non sine fraudis nota. Assertiue enim dicit Christus: *Mat. 23. 6* Quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso. Quo loco de templo Hierosolimitano sermo erat. An non exactam habebat Christus notitiam eorum, quæ Deo conueniunt? Idem de quibusdam locis assertum, inuenitur Hieremiæ 7. b. Psalm. 73. 4. 77. 8. & 131. d. Expresse aut de templo. 3. Regum 8. ubi dixit Salomon ad Deum: *AEdificans ædificauī domum in habitaculum tuum.* Sed & spiritus sanctus qui Deus est, testimonio Apostoli, habitat in nobis. *Rom. 2. b* Quid igitur mirum: si Deus habitet in templis manufactis? Quapropter, ut dissonantia harum scripturarum, ab ijs quas uos architecti citatis, & ab ea quæ Act. est 17. f. tollatur, solidaq; fiat populi instructio: aduertendum est, Deum non habitare in templis manufactis more humano, quasi illis comprehensus, aut circumseptus, aut eisdem indigens: ut additur Actorum 17. sicuti homines habitant in domibus suis. Ego, inquit, cœlum & terram impleo. Rursum: Cœlū mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Sed more quodam diuino, quem admo-

*Hic. 23. c*  
*Act. 7. f*  
*Esa. 66. a*

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

admodum spiritus sanctus habitat in cordibus iustorum, sanctificatione sibi appropriatis, illic suam gratiarum, donorumque suppellectilem disponens. Sic enim & templa nostra inhabitat Deus, ueluti pius pater familias, praesidens ibi regeneratis filiis atq; distribuens quicquid saluti singulorum congruit, uerbum salutis, dona pretiosa, quae de sursum sunt, & sacramenta: Ibidem quoq; peculiariter propensus in preces, supplicationes & laudes, atq; sacrificium fidelium: ut oratione sua petiuisse & exorasse uideatur Salomon. Hinc dicitur per Prophetam ac Christum contra prophanantes habitacula Domini: Domus mea, domus orationis uocabitur cunctis gentibus: non utiq; concionum, sed orationis domus uocabitur. Vbi uox: orationis, accipi debet pro ijs precibus, quae inter sacrificandum fiunt, imò pro ipsis sacrificijs. Nam quouis in loco orationes communes recte fiunt, ac tum etiam fiebant: Sacrificia uero cum suis precibus non nisi in templis. Porro tempore gratiae euangelicae etiam alio quodam modo Deus habitat in Templis nostris: nempe per filium suum Christum redemptorem nostrum, cuius corporalis praesentia in sacramento eucharistiae ibidem est, & conseruatur ad usum Christi soli fidelium, uti infra demonstrabitur. Adeo ut nunc rectius ueriusq; uel hac ratione dicere liceat: Non est alia natio quae habeat deos appropinquantes sibi: sicut deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris

2. Reg. 8. e.  
d.

Mat. 21. b  
Esaia 56.

Artic. 13. &  
12.

Deut. 4. a

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

stris. Cuius rei fidem ut erueretis de cordibus simplicium hæc confinxisse uidemini, duplici modo templa prophanantes. Primò, quod contenditis neq; Deum habitare in eo, neq; Christum ibidem in Sacramento præsentem esse. Vt uidelicet locus ille non habeatur sanctior quibusuis alijs: cum tamen dominus Deus de rubo ardenti dicat ad Moysen à longe accedentem. Exod. 3. b  
Solue calciamentũ de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est. Quasi diceret: inuolucra carnalium ac corporalium cogitationum deponenda esse ijs in locis, ubi Deus speciali aliquo modo præsens esse cognoscitur. Secundo, quia uos in templis solum per tractatis conciones, obsecrationibus & sacrificijs, ueroq; Sacramentorum ritu, inde proculabietis contra uerbum Dei: Domus mea, domus orationis uocabitur. Mat. 21. b

Architecti dicunt in eodem articulo.

Qui honorem suum non dat alteri: sed uult solus honorari & adorari.

Respondet veritas.

Scriptura sacra sic habet: Gloriam meam alteri non dabo. Esa. 42. b  
Gloriam, inquit, mihi propriam diuinæ meæ maiestatis, qua sum & regno ut Deus, alteri nõ dabo. Illius tamen per gratiam, Christi tandem participes efficiuntur pie credentes, sicut & Dei, quod est beatum fieri. Adeo autem est absurdũ, quod Deus solus 48. b

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

solus uelit honorari, ut mandet. Honora patrem tuum

Exod. 20. b. & matrem tuam. Mandet & Petrus: Regem honorifi-

1. Petri 2. c. ficate. Insuper Christus: Si quis, inquit, mihi ministra-

Ioan. 12. d. uerit, honorificabit eum pater meus, addens paulò in-

Ioan. 17. c. ferius: Et ego claritatem quam dedisti mihi pater

(quæ est participata quædam gloria Dei) dedi eis, ut

sint unum, sicut & nos unum sumus. Si thronus Dei,

regnum Dei, & ipse deniq; Deus sanctis sint commu-

nia in cælis, ut in confesso est. Quare nò templa Dei,

altaria Dei, cultus Dei eis quoq; communia erunt in

terris: dummodo sanctis non fiat imolatio, quod est soli

us, qui natura Deus existit, iuxta illud: Qui immolat

dis, occidetur præterquàm domino soli. Vnde August.

Exod. 22. c.

Li 10. b

de ciuit.

Dei c. 4. in

fine,

Quis unquàm sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum

esse aut sciuit, aut putauit, aut finxit? dummodo etià

illis non consecremus templa, aut altaria, sed uni

Deo, ad memoriam tamen sanctorum eius. Ter-

tio dummodo in forma colendi sit diuersitas, sicuti

est in rebus distantia, ut Deum colamus propter se,

& super omnia, sanctos uerò sub Deo, & propter mu-

nera Dei, in ipsis relucetia. Sunt enim ante thro-

num Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.

Vtique quia ante thronum Dei, tanquam domestici

eius, ideo honorandi. Verum, quia seruiunt ei, ipsius

gratia eò sublimati, ideo honore multò inferiore

prosequendi, quàm Deus. Multò tamen maiore quàm

ulla mortalis persona mudi. Idq; in templis Deo dicat-

is,

Apoc. 7. d



# ERRORVM CONFES. CALVIN.

tis, hymnis & laudibus, ac ceremonijs ecclesiasticis  
 tāquam filij Dei, hæredes Dei, & cohæredes Christi,  
 conregnantes in fœlicitate æterna cum ipso, sicuti  
 hætenus eos uenerata est mater ecclesia. Ceterum <sup>1. Tim. 1. d</sup>  
 quod Paulus dicit ad Timotheum: Soli Deo honor,  
 & gloria in secula seculorum, & Ioannes in Apoca- <sup>Apo. 7. c</sup>  
 lypsi: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gra-  
 tiarum actio, honor & uirtus, & fortitudo Deo no-  
 stro in secula seculorum: intelligendū est de omni ho-  
 nore, gloria, sapientia, uirtute & c. tribuēdo illa per  
 confessionem uni Deo, & Saluatori Christo tanquam  
 principio ac fonti, unde profluūt in quibuscunq; fue-  
 rint. Sicut Apoc. 4. dicitur: Dignus es domine Deus  
 noster accipere gloriā, & honorē, & uirtutē, quia  
 tu creasti omnia. Ut autem palām fiat quā depra-  
 uetis scripturam sanctam. Locus Matthæi 4. per uos <sup>Mat. 4. b</sup>  
 citatus sic habet: Dominum Deum tuum adorabis,  
 & illi soli seruiēs. Non autem sic: Dominum Deum  
 tuum solum adorabis, & illi soli seruiēs. Neque dictio  
 exclusiua posterioris partis ad priorem rectē refer-  
 tur, alijs scripturis saluis. Legimus enim expresse,  
 & <sup>a</sup> Angelos Dei, <sup>b</sup> Reges, & <sup>c</sup> Prophetas, & alios e- <sup>a Gen. 18. 2</sup>  
 minente dignitate claros, fuisse multoties ac religio- <sup>19. 1</sup>  
 se adoratos, imò & <sup>d</sup> mortuos sanctos. Nam Saul <sup>b 1. Re. 20 g</sup>  
 Rex adorabat Samuelem iam defunctum, prostratus <sup>1. Reg. 25. d</sup>  
 magna ueneratione in terram. Non igitur hoc præci- <sup>1. Par. 21. c</sup>  
 pitur, ut solus Deus adoretur: Verum ut soli illi serui- <sup>c 4. Re. 2. c</sup>  
 mus. <sup>d 1. Re. 28. c</sup>



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Mat. 6. b  
Rom. 6. d

Act. 17. g  
1. Pet. 2. c

mus. Siquidem seruire non est obsequium præstare in hoc uel illo, sed est exhibere se prorsus subiectū ad obediendum: Alioqui non rectè dixisset Saluator: Nemo potest duobus Dominis seruire. Item: Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Et secundum Paulum, nemo seruit simul peccato & iustitiæ: sed factus liber à peccato, seruus fit iustitiæ. Porro respiciendo ad illā omnimodam iuris seruitutem: seruire propriè est, ex domino & uoluntate alterius pendere, sic ut neque tui, neq; rerum tuarum potestatem, liberumue usum habcas: Quemadmodum empticij, uel iusto bello capti seruiunt dominis suis, & filij familias progenitoribus suis. Quo etiam modo & nos soli Deo seruire debemus. Ipsius enim genus sumus, atq; illius filij sanguine pretioso empti, atq; redempti Nemo enim hominum ex se ipso est. Nemo quicquam habet aut potest ex se. Quod plus est. Nemo sui suarumq; rerum dominium merum, directumq; habet, sed solus Deus: dominium uero usus (ut Thomas loquitur) siue dominium utile (ut in feudalibus contingit) habet homo, potens quidem uti bonis sibi à Deo concredit: sed non nisi, quamdiu Deo placet, atque pro illius uoluntate & præscriptis legibus. In quo uelut basi consistunt omnes morales tam præceptiones, quàm prohibitiones Dei.

Admodum igitur circumspectè dictum est: Soli Deo seruias, Non autem: solum Deum adorabis. Quia  
uis

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

uis tanquam Deus, ea scilicet specie adorationis, quæ  
uocatur Latria, solus adorari debeat. De qua loquun-  
tur Patres, quoties Deum solum adorandum scribunt.  
Natiua significatio uocis: adorare, iuxta auctores  
linguæ latinæ, importat uenerabundam honoris ex-  
hibitionem, inclinata quadam aut corporis, aut ge-  
nuum, aut ceruicis cæremonia aliquando cum oratio-  
ne, aliquando sine ea. Et sanè secundum usum scripturæ  
sanctæ fit adoratio tam ad alios, quam ad ipsum  
Deum: sed longè aliter Deus, aliter Angeli eius &  
sancti: aliter homo dignitate uel uirtute clarius ado-  
rari debet. De DEO, inquit Christus, Spiritus est  
Deus: & eos qui adorant eum in spiritu & uerita-  
te oportet adorare. Fecisse quidem uidetur Samarita-  
na mulier interrogationem de sacrificijs, siue solen-  
ni adoratione, quæ fit inter sacrificandum, qualem  
Iudæi in monte Sion; Samaritani uerò in monte Ga-  
rizim debere fieri contendebant. At Christus ad sub-  
limius quid pertrahens, prædicit, & in omni loco  
exinde adorandum fore, & quod ueri adoratores Dei  
in spiritu & ueritate adorarent, ubicumq; et quomo-  
documq; siue sacrificando, siue sine sacrificijs id fiat.  
Nam in omnibus regula hæc Christi, & ratio eius lo-  
cum habet. Quicumque igitur cæremonia corporali  
sine spiritu deuotionis adorationem facit, non ado-  
rat Deum, sicut oportet. Iuxta illud: Hic populus la-  
bijs me honorat: cor aut corum longè est à me. Rursum

Ioan. 4. c.

Matth. 15. 2  
Esa. 29. d

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

qui adorat typicis sacrificijs mentientibus Messiam  
 uenturum: ut Iudaei, aut errore, quo credat statuis nu-  
 3. Reg. 18. c men inesse: ut gentes, uel quo credat magnis alijsq;  
 uo ibus clamandum, ut sacerdotes Baal, uel quo ex-  
 stimet solū spiritu sine corporali caeremonia prostra-  
 tionis, uel inflexionis genuum, aut alia adorandum:  
 ut haeretici, si non adorant, ut oportet: Quia non  
 in ueritate, sed in errore falsitatis. Quemadmodum  
 nec illi, qui absq; debita proportionē actus ad obie-  
 ctum: nempe quia minus, quā m. iestas obiecti re-  
 quir. it. Veluti si quis Deum adoret, non summē tan-  
 quam Deū, & beatificū principium, totiusq; salutis  
 auctorē: aut quia magis quā obiecti ratio patiatur:  
 Vt si sanctos adoret tāquā Deos: aut mortales homi-  
 nes tāquā Diuos. Nā et hoc à ueritate deficit, ac pro-  
 inde à ratione uirtutis. Quid enim aliud uirtus bo-  
 norum morum, quā ueritas recte actionis? Hinc  
 diligentia doctorum distinxit adorationem siue cul-  
 tū, in latrīā, duliā, & hyperduliā, clarē docēdi causa  
 imperfectos: quomodo singulotim ad singulos, quod  
 omnibus secundum sermonē uidetur esse cōmune, fie-  
 ri debeat: tradentes Latrīam soli Deo deberi hyper-  
 A. Act. 10. d duliā praeminentib. sanctis, Duliā de niq; reliquis.  
 Dices fortassis Petrū non admisisse, quam Cornelius  
 prostatu ante eum adorationē facere uoluit. Rectē  
 qui lem dicis. Et certē merito non admisit: quia illi  
 tanquam diuū, ac caelestem quempiā ipsum adorare  
 parabat.

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

parabat Vti Petri uerba insinuant dicentis: Nam & ego homo sum (mortalis) sicut & tu. Atque ut deuotionis illius erat uelle adorare: ita & huius humilitatis, nolle eam admittere. Multi enim ne debitum quiddam honoris officium patiuntur, beneuolae dimissionis ostendenda gratia. Si replicaueris angelum dixisse Ioan. Apoc. 19. b. ni incipienti adorare: Vide ne feceris, conseruius enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum. Deum adora. Respondendum est, id angelum tum dixisse ex causa, eo quod humana natura iam sublimata esset super omnia, & Christus homo factus caput, ac dominus tam angelorum quam hominum, cui ambo Angelus scilicet & Apostolus ex eadem causa & ad eundem finem salutis multorum, seruiebant. Nam ante glorificationem Christi patiebatur se adorari Angeli, etiam a sanctissimis patriarchis: uti supra annotatum est. Seruire autem, licet ex proprietate significationis conueniat etiam alijs a Deo, iuxta illud Pauli: An nescitis, Rom. 8. 6. quoniam cui exhibetis uos seruos ad obediendum: seruati estis eius cui obeditis: siue peccati ad mortem: siue obeditionis ad iustitiam? Attamen Deus sibi suo mandato id proprium esse uoluit, tanquam illi, sine quo nihil est, nihil habet, nihil potest homo, iterato, ac saepius dicens: Et illi (scilicet Deo) soli seruias: ita quod nulli Actores. c. aliorum ab illo, iuxta illud: Obedere magis oportet Deo quam hominibus. Et sane paratibus, ac dominis dum seruimus in his quae Deo non ingrata sciuntur,



**SVCCINCTA DEMONSTRATIO**  
ipsimet Deo seruimus: quia illis seruimus propter  
mandata & ordinationem eius, qua sic faciendum  
præcepit. Propter quod autem unumquodque tale,  
& illud magis, &c.

Architecti dicunt in 2. articulo.

Quod Arriini & Manichæi &c. docuerunt Chr<sup>st</sup>  
sū habere innaturale corpus, ubiq; locorū præsen-  
s Augustinum uerò & Ambrosium contrarium senti-  
re: nempe Christum secundum assumptam naturam  
humanam non posse esse, nisi in uno loco.

Respondet veritas.

Calumnia est, tam quo ad Augustinum & Am-  
brosium, quàm quo ad prænarratos hereticos re-  
ferens me ad ocularem inspectionem librorum utri-  
usq; partis, potissimum eorum qui in margine à uer-  
bis annotantur, & ad uniuersas ueteres fide dignas  
historias. Quare nihil habet roboris ad probandum,  
quod probatum ex eo uultis. Ex scripturis autem sa-  
cris euidenter constat, quod Christi corpus surre-  
xit à mortuis in incorruptibilitate, in gloria, in uir-  
tute (cui nihil potest resistere, alioqui nō uirtus sed  
infirmetas esset) denique spirituale non amplius ani-  
male, corpus tamen, sed prorsus diuinis dotibus illu-  
stratum, resurgens de uentre terræ clausis ostijs, præ-  
bens se uidendum palpandumq; quando placuit, exi-  
stens præsens ubi placuit, & in specie qua placuit,  
Mul-

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Multò aliter ergo cogitandum de corpore Iesu post resurrectionem eius, quàm cum mortale uiveret in terris. Non tamen, quod hinc debeat dici, posse esse ubiq;. Rursus ex scriptura constat, quod dominus ac cepit de spiritu Moyse, & dedit 70. uiris electis: nec tamen minus permansit in Moyse. Tertio, quòd cor Helizæi manentis in domo erat præsens ubi Naamã Syrus descendit in occursum Gieyi. Quartò, quòd filius Dei manens quod erat, & ubi erat, assumpsit quod nō erat. Sic & spiritus sanctus manēs in se im- motus descendit de cælo corporali specie, sicut columba super Christum, & deinde super centum quinquaginta personas, sub 150. dispartitis linguis tanquā ignis: Et repleti sunt omnes spiritu sancto, numero singulari. Quare uno & eodem spiritu sancto, nec alio repletus est Petrus, alio aliq;. Vnus itaq; spiritus sanctus manens quod erat, & ubi erat, datus est sub singulis linguis, & eodē repleti sunt singuli centū quinquaginta personarum præsentium. Quid igitur mirū, si corpus Christi hypostaticè unitū diuinitati sit & maneat in cælo sub propria forma, in terra uero sub forma panis cōsecrati. Et in tot locis atq; altarib. quod panes cōsecratione trāselementantur in carnē eius, Chrysostomo exclamāte: O miraculū, ô Dei benignitatem, qui cū patre sursum sedet in cælo, illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur in terris, modo, qui infra declarbatur. Et multò sanè

Num. 11. c

4. Reg. 5 g

Leo sermo

nei. de nati

uitate do.

Matth. 3 e.

Luc. 3. d.

Act. 1. a

Chryl li. 3.

de dign. sa

cerdotali

statim à

principio

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

alio, quā quo spiritus S. datus est sub prædictis corporalib. signis. Nec præmissa huc inducta sunt aliam ob causam, quā ut ex his q̄ scriptura apertè testatur facta esse etiamsi uim apprehensionis humane prorsus excedāt, intelligamus posse fieri, quod catholicè in ecclesia de corpore Christi docetur. Nēpe illud esse in altari, & simul in pluribus altarib. sub forma panis cōsecrati, non obstante quod sit & maneat in celo sub forma propria. Ad hæc ne & illud sine retributione semper obijciant. Sedet ad dexterā patris, inde uenturus ad extremum iudiciū: Igitur ante illud nō est nobiscū in hoc mūdo. Cōstat quoq; ex scripturis quod fuerit propè Damascū ore proprio alloquēs Paulū, uisus quidem atq; cognitus à Paulo: à reliquis uerò non uisus. Fuerit insuper in Pathmo instruens Ioānem Euangelistā super mysterijs, calamo ipsius orbi manifestandis. Conquiescant ergo impietatis rationationes, potissimum cum dicat Angelus Dei ad Mariam: Quia nō est impossibile apud Deum omne uerbum. Si enim nullum omninò uerbum est impossibile apud Deum: possibilia itaq; haberi debent, quæ suo ipsius Dei uerbo expressa leguntur. Quidam ueterum philosophorum olim opinati sunt, vel ante tēpora Christi corpus uaturale unum posse in diuersis locis esse (quod id contradictionem non includat, ac ei; ereq; uulnus in uno loco, quod nō habeat in alio. Verè autem docent penè omnes animam eandem nū-

Actor. 9. a

Luc. 1. d

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

mero esse totam in capite hominis, & totam in pedibus eius. His sine & id genus alijs assentimur, quia sic docent homines. Cur nō igitur credimus, quod & Christi corpus possit in diuersis locis diuersimodē esse aq; apparere, & sub certa specie, nempe panis mā ducari: sub alia uerō non manducari? Cum sic uerbū Dei (apud quē ut nihil impossibile, ita nihil ue: ita i: dissonum, ore ipsius enunciari potest aperto sermone testetur, prout inferius demonstrabitur.

Architecti dicunt in 3. articulo.

Nullum subsidium querentes à demortuis sanctis, qui de nobis nihil sciunt, & cum uiuerent contrarium docuerunt.

Respondet veritas.

Erat genus hominum male doctrinæ tempore Christi (Sadduceos uocant) dicentium non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritū. Quos pulchrē conuincit Christus: ostendens patrem Abraham uiuere, Isaac & Iacob uiuere ex scriptura illa, quam recipiebant. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob: nō est Deus mortuorū, sed uiuentium: Postea quoq; insinuans Lazarum pridē defunctum uiuere in sinu uiuentis Abraham. Sed & Sapiens docet: Iustorum animas in manu Dei esse. Visi sunt, inquit, oculis insipientium mori: illi aut sunt in pace. Vita siquidem hominis est in anima eius: Nā anima est, uocaturq; uita hominis: ut ubicunque anima, ibi

Matt. 22. c

Exod 3. d.

Matt. 22. c

Luc. 16. c. f

Sapient. 3. a



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO.

Luc. 23. f.

sit & uita hominis, plus dico, ibi & ipse homo usita-  
tissima scripturarum phrasi esse dicatur: Amen dico  
tibi, inquit Christus ad latronē dexterum, hodie me-  
cum eris in paradiso: ego tuq; hic pendentes mox

Philip. 1. c

moriemur: hoc tamē die simul erimus in paradiso. Et  
Paulus inquit: Desiderium habens dissolui & esse cū  
Christo. Hinc inoleuit usus loquendi, pius simul &  
uerus: Sanctus Petrus est in celo. Hinc & ecclesiasti-  
ca, Letania: Sancta Maria ora pro nobis. Sancta Pau-  
le ora pro nobis &c. Hinc quoq; patres olim inuoca-  
bāt sanctos, sanctū Abrahā, sanctū Iob, sanctū Basiliū  
(ut postea audietis) non autem animas sanctorum. Et

Hierony-

mus cōtra

vigilantiū.

D. Hieronymus coarguit Vigilantium dicentem: Me-  
lior est canis uiuus, quā Leo mortuus, impiē admo-  
dum in suggillationem precum nostrarum, ad san-  
ctos, sicut & uos in isto articulo facitis, impiissime  
asserentes uos à demortuis sanctis nullum subsidium  
uelle querere: quasi pro mortuis habendi sint, quos  
scriptura testatur in celis cum Deo & Christo glo-  
riose uiuere. Si itaque sancti uiuunt, & quidem ue-  
rius fœliciusque, quā antea: sunt insuper in manu  
Dei: imò in throno, & ante thronum Dei, & apud  
Christum interpellantem pro nobis, ut in Apocaly-  
psi habetur & alibi: falsa professio erit & illa uestra  
assertio, qua contenditis sanctos nihil scire de nobis  
Quoniam quidem in Deo tanquam primo suo prin-  
cipio sunt, quaecunque facta sunt: atque in ipso uelut  
termino.

Apoca. 3. d

Apoc. 7. d

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

in limpidissimo speculo relucet, speciatim et homi-  
 nes et hominum actiones: idque noticiam ibidem præ-  
 sentiū. Dicente B. Gregorio: anime sanctæ, quæ intus <sup>12. Mora.</sup>  
 omnipotentis Dei claritatem uident: nullo modo cre- <sup>c. 13. & 4.</sup>  
 dendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Po- <sup>dialog. c. 3.</sup>  
 tissimum quo usque eorum felicitati congruit, ut con-  
 gruit habere suorum cognitionem. In primis uero eo-  
 rum, qui uel opitulationem ab ipsis deuotè querūt,  
 uel imitatione, ac aliàs eos in pretio habent, sicuti  
 Augustinus docet. His accedit et illud: Si sancti sunt <sup>Ser. 244 de</sup>  
 diui ac deificati (uti sunt) habent ergo uim pro- <sup>tempore in</sup>  
 spiciendi, audiendique non solum humanam, sed et <sup>in princi-</sup>  
 celestem atque diuinam, innumeris modis ualidior- <sup>prio.</sup>  
 rem, quàm natura dedit, liberiorē quoque et fusio-  
 rem, quàm antea: eo quod nullis nunc arctentur cor-  
 poris organis, aut phantasmatibus sensus. Olim <sup>Acto. 7. g.</sup>  
 Diuus. Stephanus, quando placuit Deo, hinc uidit  
 Christū stantē à dextris uirtutis Dei. Et Ioannes Ba- <sup>Matth. 3 d</sup>  
 ptista, quādo placuit Deo uidit spiritum sanctū descē-  
 dentem de cælo, audiuitque Deum indè loquentem. Et  
 Prophetæ, nonne uiderunt res futuras, longè priusquā  
 fierent? Hinc uidentes dicti. Adhæc Abraham, cum <sup>10an 8. g</sup>  
 sic placeret Deo, uidit diē Christi et gauisus est, ui- <sup>Luc. 16. f</sup>  
 dit et diuitem epulonē sepultū in inferno, audiuitque  
 postulationem eius. An igitur alienum, quod sancti,  
 donis celestibus prorsus illustres, uideāt, et andiāt de  
 supernis uota nostra, ea quib. premimur cognoscētes

# SUCCINCTA DEMONSTRATIO

- a Mat. 18. b Attento quod angeli semper uidentes faciem patris  
b. Ge. 48. c in celis, pusillorum nihilominus hic curam habeo  
Acton. 4. g ant. Adhuc protegant pios à malis superuenientibus,  
d Da. 14. f et deducant de loco ad locum de regione ad regionem:  
e. Luc. 15. c Super pœnitentia insup. r conuertentium se à peccatis  
f. Tob. 12. c gaudeant, et orationes deuictorum offerant Deo  
in celis. Nec eorum uisio beatifica his impeditur, neque  
ista officia per illam excluduntur. Sunt autem  
Matt. 22. c sancti, inquit Christus, sicut angeli Dei in celis. Visa  
insuper scriptura sacra attestatiõe, quæ refert sanctum  
2. Mac. 15. c Oniam defunctum extensis in calum manibus, orasse  
Ibidem. pro cognita sibi iudeorum clade deprecanda. Hic re-  
miã quoque multum orare pro populo Dei, et sancta ci-  
uitate Hierusalẽ, et instante praelio per uisionem por-  
rexisset Machabeo gladium aureum munus à Deo, quo de-  
ijceret aduersarios populi Israël. Ex quo certum est ei  
notatum fuisse instantis praelij discrimina. Et quando do-  
minus dixit Ieremie. Et si steterint coram me Moyses  
et Samuel, non est anima mea ad populum istum, non  
ne satis innuit illos habuisse noticiam eorum quæ contin-  
gebant in populo Israelitico? Quis enim pro ignotis,  
1. Reg. 28. c et super rebus incognitis intercedit? Legitur autem et  
Samuel defunctus indicasse Sauli regi, quæ postera  
die illi euentura erant in praelio, quod sane absque noti-  
cia praelij, eiusque euentus facere non potuit. Quod por-  
ro dicitis sanctos dum uiuunt, contrarium docuisse, ut ci-  
tra probationem à uobis asseritur: ita etiam uel absque  
proe



# ERRORVM CONFES. CALVIN.

probatione reijici potest: uti corā cunctis tribunalib. In Iob. 11. 2.  
 moris esse constat. Nihilominus, quo mendacij isti- circa finē  
 us sceditas cunctorum naribus suboleat. Idē in la-  
 Principio mēto in  
 origines ipse inuocauit sanctum Iob & S. Patrē Abra- fine.  
 ham: docens, sanctos nostri curam habere, nosq; suis Hom. 3. in  
 precibus adiuuare, testimonijs in hoc ex libris Macha- cātica post  
 bazorum productis, licet postea à ueritate exciderit. principiū.  
 Post hunc S. Cyprianus Martyr docet infantes ab He- Ser. de  
 rode trucidatos Deum pro nobis exorare. Sed & Eu- stellis &  
 sebius tradit sanctam Potamienam Deum exorasse magis.  
 pro carnifice suo Basilidæ. Insuper Ruffinus, in pro- Lib. 6. hi.  
 secutiōe Eusebianæ historiae, Theodosiū imperatorē eccles. ca. 5  
 Romanum idcuissē ante Martyrum ac Apostolorum Lib. 11. c. 33.  
 thecas cilicio prostratum, & auxilia sibi fida sancto-  
 rum intercessiōe poposcissē S. Basilus quoque qua- Ser. in 40.  
 draginta martyres orari iubet, quorum agones ipse martyres.  
 describit. Et Gregorius Nazianzenus ingenuē per o- Oratione  
 rationem editam fatetur S. Basilium iam defunctum in laudem  
 intercedere pro populo, seq; met illum ad opitulatio Basilij.  
 nem inuocare sicut & S. Cyprianum inuocabat. Oroē in S.  
 Ad Cypr. ho.  
 hac D. Chrysostomus scripto testatum reliquit mo- in laudem  
 dum quo sancti orāt pro nobis, modum etiā quo mo- Iuuetini &  
 numenta & reliquias eorum uenerari debemus. Et Maximi.  
 quod propter defunctorum uirtutem, uiuentium mi- Hom. 42.  
 sereatur Deus & curam habeat: Protegā, inquit do- in Gen.  
 minus, ciuitatem hāc propter me, & propter Dauid 4. Reg. 20. 2  
 seruū meū. Quodque mirē sit utile quando orationes  
 san.



## SVCCINTA DEMONSTRATIO

**Hom. 44.** sanctorum nostris precibus accedunt, scripturis in  
**in Gen.** eius rei testimonium citatis. Multis alibi rationibus  
**In 1. cap. 1.** suadens intercessionem sanctorum minimè spernenda  
**epistol. ad** esse. Et D. Hieronymus nonne scriptum reliquit,  
**Theſſalo.** quòd Blesilla filia Paulæ iam defuncta, orabit pro  
**Hom. 1. E.** matre sua, etiam pro se, inuocans ipse auxilium di-  
**pistol. ad** ctæ Paulæ post mortem eius? Augustinus denique  
**Paulam.** admodum sanctus, et in ueritate defendenda strenuus,  
**In Epist.** docet nos memorias sanctorum Martyrum facere,  
**Paulæ** non quidem ut oremus pro illis, sed ut ipsi orèt pro  
**Tract. 84.** nobis. Et ipsemet inuocabat sanctos, uti ex scriptis  
**in Ioan.** eius constat. Cui addere congruit quod asserit sexta  
**Cap. 23.** Oecumenica synodus Constantinopolitana, scilicet  
**meditat.** sanctorum inuocationem per totum orbem uniuer-  
**Canon. 7.** sum tunc temporis obseruasse ecclesiam. Quæ meri-  
 to sufficere debent.

**Gen. 48. c.** Ut autem reuertamur ad scripturam sacram. Pa-  
 triarcha Iacob moriturus inuocauit super filios Ioseph non solum Deum, sed et sanctum Dei Angelum, dicens: Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in presentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Et contra tam apertum sermonem an erit tergiversatio? De sanctis autem, quos uos demortuos uocatis, subiungit: et inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac. Rursum isto an quid possit dici clarius? Cum uox, inuocare, apud Latinos habeat

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

beat Græcam uocem correspondentem *ἐπιχαλῶμαι*,  
 quarum utraque significat implorare aut subsidium  
 petere, & utraque refertur non solum ad Deum, sed  
 etiam ad alios, tam apud scriptores linguæ Latinæ,  
 quàm in libris sacris. Sicuti enim dicitur: Omnis qui *Ioel. 2. 22.*  
 inuocauerit nomen domini, saluus erit: ita dicitur, *Rom. 10. 13.*  
 Si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum *Prou. 2. 2.*  
 prudentiæ, &c. Ita insuper & per Iacob dictum est:  
 Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque  
 patrum meorum. Quod uerò Paulus dicit: Quomo- *Roma. 10.*  
 do ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? acci-  
 piendum est appropriatè, secundum materiam subie-  
 ctam, uidelicet: Quomodo inuocabunt tanquàm Deum  
 aut Saluatorem, in quem non crediderunt ut talem?  
 Quemadmodum dicere licet: Quomodo inuocabunt  
 tanquam sanctum ac diuum, quem necdum didicerunt  
 ullo conuenienti testimonio in numerum diuorum  
 relatum esse?

Architecti dicunt in eodem  
 articulo.

Multò adhuc minus adoramus, aut ueneramur  
 ligneas uel lapideas statuas, quas scriptura passim  
 execratur.

Respondet veritas.

Sculptas aut pictas imagines habere nusquàm repres- *Num. 31. 17.*  
 bēditur, aut punitur secundū scripturas sacras. Quin-  
 imò

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO.

Num. 21. c. imò testatur uerbum Dei sculptā statuam enī serpē  
tis, ordinatiōe domini, fuisse erectā. Imagines quoq;  
Exod. 25. b. Cherubin in propitiatorio esse collocatas & p Salo-  
monē sculptas similitudines leonū, boū, malogranā-  
torū, & maris fusilis aptatas extitisse in templo Dei,  
& throno domus suæ. Insuper S. Syluester tradidit  
Constantino magno imagines Apostolorum Petri &  
Pauli, anno circiter trecētesimo. Adhæc ære illa sta-  
tua referēs personā Christi, cū alia statua mulieris li-  
beratæ à profluvio sanguinis, ante pedes prioris pro-  
strata permāserūt in Cesarea Pphilippi usq; ad tem-  
pus Cōcilij Niceni primi, ac postea usq; ad tēpora lu-  
liani Imperatoris Apostata, & nō sine operatiōe mi-  
raculorū. Vt describit Eusebius, in histo. Ecclesiast.  
ibidem asserens se uidisse Apostolorū Petri & Pauli  
& ipsius Saluatoris antiquas imagines conseruatas,  
ipsorum, quorū imagines erāt, honoris gratia. Legi-  
te ser. S. Athā. Epif. Alexā. de imagine domini nostri  
Iesu Christi, qualiter crucifixa est in Syria in urbe  
Beryto, dumque caderetur à perfidis Iudeis, & in la-  
tere foderetur, continuo exiuit sanguis & aqua. Fuit  
hic sermo Athanasij lectus in Concilio Niceno 2. ad  
statuendam uenerationem imaginū, ut ex actiōe 4.  
eiusdem concilij patet. Vixit autem Athanasius an-  
no domini 330.

Exod. 20. Verūm acriter prohibet & execratur, seuereq; pu-  
nit Deus facere aut erigere sculptilia, uel similitudi-  
nem eo

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

nem eorum, quæ sunt in celo, uel in terra, uel in ma-  
 ri, cum ob causam ut pro Deo habeantur, & adoren-  
 tur subiunge is mandato prohibitionis suæ rationē:  
 ut adores, inquit, ea: aut, ut ante talia ex trunco fa-  
 bricata arboris, cuius aliæ partes ad focum, uel in for-  
 nacē proijciuntur, prosternas te dicens: Libera me,  
 quia Deus meus es tu. Quod subsannat, & durè incre-  
 pat Esaias Prophetas: Aut ut fide quadam Gentili ex-  
 istimemus, lignis siue aureis statuis, quantūuis pre-  
 ciosis, sensum inesse uel iudiciū, aut uitam, aut deita-  
 tem, aut uim ullā opitulādi. Quod producto sermo-  
 ne deridēt, & insectātur Rex David & Baruch pro-  
 pheta. Derideret quoq; & grauissimè puniret mater  
 nostra ecclesia catholica: si quoquo modo id inter fi-  
 des deprehēderet, religiosè inte im cōcedens ut in  
 tēplis ut in mur statuis & imaginib. sanctōrū ueluti li-  
 bris ac speculis Christi fidelium, ad eū finem. ut illis  
 uisis incitemur & ad imitationem, & ad ueneratio-  
 nem eorum, quorum similitudines gerūt: Quoniam  
 sci icet uicerunt regna per fidem, operati sunt iusti-  
 tiam, adepti sunt repromissionem, digni inuenti sum  
 mo honore apud Deum. Et hoc in throno ipsius. Ne  
 scilicet nos hic dubitemus num uenerari debeāt in ter-  
 ris, uenerari, inquā, quisq; pro gradu dignitatis suæ,  
 prout supra tetigimus. Siquidem alijs ac alijs imagi-  
 nibus, alia ac alia, alio quoque & alio animo impen-  
 denda est ueneratio: Nam ante imaginem crucifixi  
 sanctæ

Esai. 44. 6.

Psal. 113.  
Baruch. 6.

Heb. 11. 1

Apoc. 3. d



## SVCCINCTA DENONSTRATIO

sanctè prosternimus nos, ipsum crucifixum dominū  
Iesum tanquam Deum & Saluatorem nostrum ado-  
rantes. Ante imaginem uerò uirginis Mariæ, illam ue-  
nerantes, tanquam matrem Dei, ex cuius uisceribus  
prognatus est Christus. Ante imagines insuper Apo-  
stolorum, illos digna ueneratione honorantes, uelut  
ecclesiæ principes, celestis aule milites, & uera mun-  
di lumina: post Christum tamen, & per Christum,  
& sic de alijs. Nullos omnino tanquam Deos, uno  
Christo excepto: omnes autem tãquam ciues sancto-  
rum, & domesticos Dei ueneratione supra omnem  
potestatem principatum mundi huius dignissimos.  
Quæ omnia, quia fusè & exactè discussa leguntur in  
septimo uniuersali consilio Niceno secundo, ante an-  
nos circiter 800. anno nimirum domini, 781. Con-  
gregatis ibidem trecētis 67. Episcopis, & quàm plu-  
rimis eximijs magnæ doctrinæ & pietatis uiris: ideo  
dicendi de hac materia finem facimus.

Architecti dicunt in 4. articulo.

Ad cuius (scilicet Christi) doctrinam neque addi-  
mus, neque detrahimus.

Respondet veritas.

Si per hoc uelitis dicere, nihil uos recipere, nihilq;  
ab alijs recipiendū esse, nisi expressum sit in scriptu-  
ris Prophetiis uel Apostolicis, principio contorque-  
tis scripturas in margine annotatas quò non debent.

Nam

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Nā quod scriptū est Deu. 4. & 12. Nō addetis ad uer-  
bū quod ego loquor uobis. Rursus: Nec addas quic-  
quam, nec minuas. Tātummodo mādāt ne uerba ulla,  
aut sententiæ à quopiam excogitatae inferantur illis  
libris quasi à domino ibidem dictæ: neue extrahan-  
tur uerba ulla, aut sententiæ quasi ibidem à domino  
non dictæ, aut præceptæ. Nā post quinq; libros Moy-  
si additi sunt libri Regum. & Prophetarū habentes  
uariam doctrinam eorum, quæ in libris Moyse nō in-  
ueniuntur. Sic quoq; intelligendum est, quod Apoca-  
lipsis ultimo dicitur. Nā post Apocalypsim accessit  
Euangelium, accesserūt & epistolæ Canonice Ioānis.  
Deinde per hoc primo confessionis uestre articulo  
cotradicitis, ubi asseruistis uos fidem uestram dispo-  
nere secundum scripturas, & duodecim fidei articu-  
los, & quatuor prima generalia concilia ecclesie. In  
quib. tamen inuenitur expressum quod nusquā est in  
scripturis Propheticis & Apostolicis, nēpe uox Ho-  
mouston, & quædam alia. Nec inuenitur in eisde scri-  
pturis, quod Euangelia Matth. Marc. Lucæ. Ioannis  
sunt reuera ab eisdem illis Euangelistis cōposita, &  
non ab alijs sub illorū nominibus falsò emissa, quæ ta-  
men & uos, & alij, ut nos obuiē suscipitis tanquā pu-  
rum uerumq; uerbum Dei. Eam sanē ob causam (non  
enim habetis aliam) quia sic testatur mater Ecclesia,  
sicque edocuit perpetuus, & uniformis Patrum con-  
sensus atq; usus. Quib. duob. reiectis fit incertū, qd  
C pro

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

pro scriptura sacra, qđ pro articulis fidei haberi de-  
beat. Quæ deniq; cōcilia firmæ, & q̄ infirmæ sint au-  
thoritatis. Et certè si suscipitis quatuor prima concī-  
lia propter uerbum Christi dicentis: Si ecclesiā nō au-  
dierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus uerbu in-  
sup Pauli asserētis ecclesiā esse colūnam & firmamē-  
tū ueritatis. Necessario etiā debetis suscipere & alia  
Occumenica cōcilia eadē auctoritate atq; concordit,  
eodemq; spiritu cooperante celebrata, atq; à tota ec-  
clesia religiosè suscepta; aut annu-erandi. His inter  
seditiosos siue sectarios homines, cōstituētes uosmet-  
ipsos iudices matris ecclesie, contra mandatū Dei. si  
uerò suscipitis quatuor prima cōcilia ecclesie præa-  
lijs, quod illa per omnia iudicetis cōformia scripturæ  
sacræ: cur igitur nō agnoscitis sacerdotes habere po-  
testatē offerēdi corpus Christi? quod expressè asserit  
cōciliū Nicenū: similiter epi. cōciliū Ephesini ad Ne-  
storii. Rursum cur nō agnoscitis nobiscū Papā esse ca-  
put ecclesie in terris iuxta promissiones Christi, scā-  
ctas Petro & successorib. eius? Vt infrā explicabitur,  
quod manifestè asserit Concil. Chalced. Certè ut pau-  
cis dicā Ideo huiusmodi mōstra cōsurgū in doctri-  
na uestra: quia nō habetis aliud principium fidei ue-  
stræ, quàm proprii sensus iudiciū. Nec ipsi legitis  
quæ à cōcilijs & patribus tradita sunt, sed tantūmo-  
do inheretis concordantijs, & locis communibus ab  
ingeniosis quibusdam, dolo malo ad deceptiōem plu-  
rimorum

Matt. 18. b  
1. Tim. 1. b

Canon. 14.

In 7. art.  
Actione 3  
in relatio-  
ne synodi  
ad Leonē.

ERRORVM CONFES. CALVIN.  
rimorum consarcinatis.

Architecti dicunt in 5. articulo.

Quod Spiritus S. testimonium reddit sp̃i itui nō  
stro, **Ende versichert**/ hoc est certos & securos  
nos reddit, quod sumus filij & heredes Dei.

Respondet veritas.

Sententia Pauli ad Romi 8. b. & omnes similes  
per conditionē dictæ intelligūtur. Quod ut insinuat  
immediatē subiungendo. Si tamen compatimur, ut et  
conregnemus: ita alibi lucidius exprimit dicēs: Parti  
cipēs Christi effecti sumus: si tamen initiū substantiæ  
cuius usq; ad finē firmū retineamus. Nec testimonium  
reddidit Spiritus s. p̃ assertionē huius. Tu es filius Dei,  
quomodo pater te status est de Christo: Hic est filius Matth. 3. d  
meus dilectus: Nā talis assertio sp̃itus s. nusquam in  
scripturis inuenitur, sed per illapsion, perq; dona sua  
& subsidia rectæ uitæ, quæ piē affectus, experientia  
quadam in se sentit. Verum experientia, ut probabi  
lis tātū est: ita fallere potest, quæ omnia ex subiectis  
certiora fient. Nemo igitur certus est aut securus (q̃  
uox: **uersichert** importat) de iustitiæ adepti, uel æter  
nā hereditate adipiscendā, etiā si nullius sibi cōsci  
us mali. Nam Paulus de se, inquit: Nihil mihi cōsci  
us sum: sed non in hoc iustificatus sum. An Apostolatus  
tūm temporis non habuerit in se spiritum sanctum? 1. Cor. 4 a  
Hierem. 17. b  
Cor hominis prauum est & inscrutabile, ait Hieremias,



## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

mias, & quis cognosceat? Certè ne is quidē, cuius est.  
 Cum timore enim & tremore debemus salutem no-  
 stram operari, sicut idem Apostolus Philippēses in-  
 struit, Quoniam nemo scit amore ne, an odio dignus  
 sit: sed omnia in futurum reseruantur incerta. itaq;  
 uocula illa: *versekert* / dolosè per uos inserta est sē-  
 tentiæ Apostoli, nec ibi manere, neq; uerbis Aposto-  
 li, loco explicationis subiungi potest, doctrina Chri-  
 sti alijs in locis salua. At esto, cuiquam reuelatum sit  
 de iustitia obtenta: ut reuelatum erat Magdalena, et  
 paralitico per Christum: Veruntamen qui stat, ui-  
 deat ne cadat, inquit Paulus. Nam contingit excidere  
 à gratia, excidere à simplicitate, quæ est in Christo,  
 à propria firmitate: Contingit & naufragi-  
 um facere circa fidē, ut fecerunt Himeræus & Ale-  
 xander: Ramos quoque naturalis oliuæ aut frangi,  
 aut excindi: Quoniam ob causam Apostolus hortatur  
 Romanos sedulò timendum esse dicens: Tu fide stas,  
 noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus  
 ramis non pepercit ne forte nec tibi parcat.

Architecti dicunt in 6. articulo.

Per quam (scilicet fidem) iustificamur, & nō per  
 opera nostra.

Respondet veritas.

Quoniam in hoc eodem articulo asseritis, uos  
 istud intelligere de fide, non quidem mortua, sed ui-  
 ua ac

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

na ac ualida, operante per charitatem in omnib operibus bonis. Necessario ulterius uobis agnoscendum est, hominem iustificari per opera bona, & non per fidē tantū. Cum enim fides incipit in homine uiuere ac ualere per dilectionē, quæ opus quoddā est, secum trahens pœnititudinem ueteris uitæ, cum fiducia obtinēdi reconciliationē per Christū, tū demū iustificat. Nā tū corde creditur. De quo Paulus: Corde creditur ad iustitiā. Incipit enim tunc fides homini esse cordi, corq; ipsius immutare, & conuertere ad Deū per dilectionem, sp̄e, fiduciam, ac propositum prosequēdi deinceps quod Christus prosequendum docuit (quæ quidem hominis opera sunt: attamē sic ut & Dei dona in eo existant) atque ita iustificare eius: non uero operibus coadiuantibus: Sunt enim reuera opera fidei ex directione ipsius procedentia. Quis autem dixerit unquam, fidem iustificare, opera aut fidei non iustificare? Abraham pater noster, inquit Iacobus, nōne ex operibus iustificatus est offerens Isaac filium suum, super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius? (Si cooperabatur, utiq; & illa aliquid efficiebant) & ex operibus fides consummata est? Consummata, inquit, ex operibus, non autem manifestata, quasi testimonia tantummodo forent opera, uiuentis in nobis fidei, ut uos malē dogmatizetis. His subneclit Iacobus uelut generalem doctrinam dicens: Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo

Rom. 10. c.

Iacob. 2. o

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Rom. 3. d

Galat 3. c

Roma. 3. d

Roma. 4. a

Et non ex fide tantum? Citatis quidem ipsi hūc Apo-  
stolum, sed nō nisi quousq; seruit fictionibus uestris.  
Nec considerare uultis, qua ratione ille dicat, fidem,  
sine operibus mortuam esse. De quo aliquid in fine  
capitis istius addemus. Paulus autē pronūcians: Arbi-  
tramur hominē iustificari per fidē sine operib. legis.  
de operibus legis, prout legis sunt, loquitur, et ex le-  
gis præscripto sūt, nō aut ex directiōe fidei in Chris-  
tū. Si enim data esset lex, quæ posset uiuificare, uerē  
ex lege esset iustitia. Hoc Paulus de lege Mosaica pe-  
culiariter à Deo data. Magis ergo uerū est de lege cō-  
muni naturali, quā putabant se obseruare Rom. Nul-  
la enim functio uitæ, siue ex lege Mosaica (ut inter Iu-  
dæos) siue ex lege naturali (ut inter Romanos) potest  
inducere iustitiā Dei, aut eadē dignū facere, eò quod  
uim aut pretiū rei creatæ nō excedat, et secū habeat  
eternæ damnationis reatum. Hinc docet incolas Ro-  
mæ urbis: omnes peccasse, et oēs egere gloria Dei,  
omnesq; iustificari gratis, hoc est, absque præuijs me-  
ritis, per gratiam Dei et redemptionem quæ est in  
Christo Iesu: Adeo quod neq; fides in Christum (quæ  
et ipsa donum Dei est) neque ipsum credere merean-  
tur iustificationem: reputantur tamen homini ad ius-  
titiam. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abra-  
ham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam. Pauloq;  
inferius: credenti autem in eum qui iustificat impi-  
um, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum pro-  
positum

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

positum gratiæ Dei. Sicut, autem fides reparatur ad iustitiam: ita indubiè & opera fidei, nempe ex ipsius directione procedentia, uidelicet tristitia de peccato secundum Deum, conuersio cordis ad Deum, dilectio, spes, & fiducia obtinendi reconciliationem per Christum. Quæ li. uocat August. opera sequentia fidẽ. Obserua autem in Paulo quod dicit: Reputatur, id est, agnoscitur à Deo uelut sufficiens dispositio, qua existẽte in peccatore lausgitur ei Deus gratuito gratiã intus iustificanti. Nam licet per fidem & eiusmodi fidei opera iustificemur: tamen id gratis fit, & per gratiam ipsius Dei. Nullum enim omnino est meritum ex parte iustificandi, qui totus adhuc reus iræ & damnationis existit: sed secundum propositũ gratiæ misericordis Dei, & misericorditer eripientis ex massa perditionis. Efficitur peccator iustus, gratia ipsius, ob redemptionẽ quæ est in Christo & sanguine eius, Quemadmodum in præcedente capite tertio ostendit, loquens ibidem de operib; fidẽ præcedentib;. Cum Apostolus Iacobus loquatur de operibus fidem sequentibus. Qualia opera sunt immolatio Isaac, quam parabat Abraham iam pridem credens, pœnitẽtia & dilectio Magdalene, conuersio filij prodigi ad patrẽ, tussio pectoris humilisq; obsecratio publicani. Orões & elemosinæ Cornelij Ceterionis factæ ex præuia quadã illuminatione fidei, & similia. Cuiusmodi opera scriptura testatur multum contulisse

Li. 83. q. 76

Gen. 22. a b

Luc. 7. f. g

Luc. 15. e

Luc. 18. c.

Acto 10. a



# SVCCINTA DEMONSTRATIO

ad impetrandam iustificationem à Deo. Atq; hac distinctione præcedentium operum (de quibus Paulus) & subsequen-  
tium (de quibus Iacobus) eleganter &

benè conciliat dictorum Apost. sententia secundum  
quæst. 76. speciem contrarias, D. Aug. lib. suo. 83. q. Dicuntur au-  
tem opera sequentia fidem, quæ ex illius directione  
fiunt actu uel uirtute, siue impræta sint. siue elicita.  
Præcedentia uero fidem dicuntur, quæ aut ab impijs  
fiunt ante fidem, aut à fidelibus non tamen magis ex  
fidei directione, quam si eam non haberent. Porro  
quæ fiunt pia exercitia uirtutum post peccati remis-  
sionem ab homine, iam iustificato, & sanctificato per  
pretiosa dona, quibus diuinæ efficiuntur consortes na-  
turæ, ea non solum fidei directionem: sed & spiritus  
diuini intus habitantis sanctificationem, & coopera-  
tionem sequuntur. Ideoque merito nos faciunt in ius-  
titia prouectiores. Sicuti scriptum est: Qui iustus est

Apoc. 22. c

Eccl. 18. c

iustificetur adhuc. Et iterum: Ne uerearis usque ad  
mortem iustificari. Cuinsmodi iustitiæ incrementum

In collecta

petit Ecclesia cū orat: Da nobis domine, spei & cha-  
ritatis augmentum. Quod plus est, faciunt eiusmodi  
opa nos, condigno merito, uita æterna dignos. Quod  
utique certò certius haberi debet propter euidentiā  
scripturarum. In quibus expressè his modis dicitur:

Eccles. 16.

Matth. 5. b

Philip. 3. c

Secundum meritum operum suorum: Merces uestra  
copiosa est in cælis: Brevium supernæ uocationis: Co-  
rona iustitiæ reposita in cælis. Quam reddet mihi do-

minus

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

minus in illa die iustus iudex: Accipere propriam <sup>2. Tim. 4. b</sup>  
 mercedem secundum suum laborem: Referre ante tri- <sup>1. Cor. 3. b.</sup>  
 bunal Christi propria corporis prout gessit unusquis <sup>2. Cor. 5. b</sup>  
 que, siue bonum, siue malum: Reddet unicuique secū <sup>Matt. 16. d</sup>  
 dum opera sua. Iis quidē qui secundū patientiā boni <sup>Roma. 2. b</sup>  
 operis gloriam & honorem & incorruptionem qua-  
 runt, uitam aeternam: Iis autem qui sunt ex contentio-  
 ne, & non acquiescunt ueritati, credunt autem ini-  
 quitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in  
 omnem animam hominis operātis malum, Iudaei pri-  
 mum & Graeci: Gloria autem & honor & pax omni  
 operanti bonum Iudaeo primum & Græco. Nō enim  
 est acceptio personarū apud Deū. Quibus scripturis  
 irrefragabiliter demonstratur meritū bonorum ope-  
 rum hominis iustificati. De quo alibi fusius. Ne autē  
 promissi immemor fiam: Ex eo quidē, quod Aposto-  
 lus Iacobus dicit fidē sine operibus mortuā esse, infer-  
 tis uos uestraeque farinae alij. Igitur fides sine ope-  
 rib. ac charitate nō est fides: quia homo mortuus non  
 est homo, Sed id admodū imperitē. Nō enim dicit A-  
 post. Sicut homo sine spiritu mortuus ē. Sed sic inqt: <sup>Iacob. 2. d</sup>  
 Sicut corpus sine spiritu mortuū est: Sic & fides sine  
 opib. mortua est, cōparās fidē sine opib. corpori sine  
 spiritu. Est autē corpus reuera corpus in genere substā-  
 tia, etiamsi spiritu careat. Sic & fides reuera fides in  
 genere uirtutum intellectualium, qua homo rectē cre-  
 dit uerbo Dei, & inter Christi fideles annumeratur:

# SVCCINTA DEMONSTRATIO

etiamsi charitate bonisq; operib; destituta sit. Cuius idonei testes tres Apostoli, Paulus, Ioann & Matth.  
**1. Cor. 13. a** Paulus quidem, ad Corint. sic scribens: Et si habue-  
 ro omnem fidem (perfectam, constantem, uehemen-  
 tem) ita ut montes transferā: charitatē aut nō habue-  
 ro, nihil sum. Ex quo probat Augustin. 15. de Trinita-  
 te: fidem non necessario habere annexam charita-  
 tem. Ioannes uerò refrens hoc modo: Verunta-  
 men ex principibus multi crediderunt in eum: (Igi-  
 tur fidem habebant) sed propter Phariseos non cōfir-  
 tebantur, ut ē synagoga non eijcerentur. Dilexerunt  
 enim gloriam hominum magis quā gloriam Dei:  
 Sine charitate ergo erāt, quæ sola diuidit inter filios  
 Dei & diaboli. Quemadmodum Christiani perituris  
 rebus magis affecti, quā Deo, fidem quidem habent  
 qua Christi fideles sunt: non autem iustitiam & cha-  
 ritatem: quia in peccatis uiuunt. Denique Matthæus  
 referens sermonē domini in monte ex ore eius id ip-  
 sum testatur: Multi inquit, dicent mihi in ea die. Do-  
 mine Domine. Nōne in nomine tuo prophetauimus,  
 & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine  
 tuo uirtutes multas fecimus? (Quæ an sine fide fie-  
 ri possunt?) Et tunc confitebor illis: quia nunquam  
 noui uos. Discedite à me omnes qui operamini ini-  
 quitatem. Quapropter si quis dixerit: (ut uos multis  
 in locis dicitis:) Amissa per peccatum gratia, simul  
 & fidem semper amitti: aut fidem quæ remanet,

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

non esse ueram fidem: licet non sit uiua: aut cum  
qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum  
Anathema sit, prout rectè definiuit ex uerbo DEI Sess. 6. ca.  
Oecumenicum concilium ecclesiæ, hoc nostro tem-  
pore Tridenti celebratum. Hinc licet admodū cōfor-  
miter scripturis, distinguere inter fidem mortuā &  
uiuam, ualentem & non ualentem, uocando ualentē  
quæ per dilectionē operatur, ut Paulus loquitur: ui-  
uam uero, quæ bonorum operum ferax est secundum  
Iacobum. Quam distinctionem solēt doctores expri-  
mere per fidem formatam & informem.

Architecti dicunt in 7. articulo.

Confitemur unam uniuersalem Christi ecclesiam  
in omnem partem orbis diffusam,

Respondet veritas.

Singulis seclis contendentibus apud se esse Chri-  
sti ecclesiam: non autem apud alios scindunt uesti-  
menta Christi in partes, more militum ipsum cruci  
affigentium: Dei dispensatione interim prouidente,  
ut tunica eius inconsutilis, desuper contexta per to-  
tū, maneret integra, quæ est Ecclesia Dei cingens &  
comprehendens totum corpus Christi, omniāque  
membra eius quaqua uersum per orbem diffusa. Nō a. Ro. 10. 12  
enim est distinctio Iudæi & Græci: sed in omni b. Act. 10. 4  
gente & loco, qui inuocauerit nomen Domini saluus  
erit: quique timet Deum, acceptus est illi. Salua-

tore



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

**Matt. 16. d** tore dicente: Euntes in mundum uniuersum, predi-  
 cate Euangelium omni creature. Qui crediderit & ba-  
 ptizatus fuerit, saluus erit. Omni creature, inquit, id  
 est omni homini, cuiuscunque regni, nationis, lingue,  
 status, atatis, sexus opulentie uel paupertatis fuerit  
 modo humana sit creatura. Predicate illi Euangelium  
 Dei. Nam si crediderit & baptizatus fuerit sal-  
 uus erit. Reliquas scripturas huc pertinentes prae-  
 dens omitto. Merito ita ecclesia Christi dicitur Ca-  
**Ecclesia ca** tholica. hoc est, uniuersalis, aut uersans circa totum:  
**tholica.** Dicitur insuper & Apostolica iuxta traditionem  
**In simbolo** concilij Constantinop. eo, quod, ab Apostolis fundata,  
**Constanti** adhuc retineat legitima successione eandem doctri-  
**nopolita-** nam fidei, easdem gubernandi potestates, eandem ius-  
**no,** risdictionem, idem sacerdotium, idem sacrificium, ea-  
**Ecclesia A.** demque sacramenta quae habuit sub Apostolis constitu-  
**postolica.** ta. Non utique ullius magistratus mundi huius con-  
 cessione, sed Dei donatione, & Christi constitutione.  
**Ephes. 4. c** Sicut enim loquitur Apostolus ad Ephes. & ad Corin. Sunt  
**1. Cor. 12. d** autem sine poenitentia dona & uocatio Dei. Et uer-  
**Roma. 11. d** ba, dedit ac posuit, perpetuitatem quamdam indicant.  
 Sicut quae in republica à maioribus constituuntur per-  
 petua esse solent. Quid nihilominus hac uia recte pro-  
 batur: Dedit, inquit, Apostolus. 1. ad consummationem  
**Ephes. 4. c** sanctorum. 2. in opus ministerij 3. in edificationem  
 corporis Christi. Quae tria accurate sunt obseruanda:  
 illorum enim causa dedit. Si quaeras quousque? Respon-  
 det

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

det. Apost. Donec occurramus omnes (scilicet saluandi) in unitatem fidei & agnitionis filij Dei in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Igitur ad consummationem usque seculi Nec usurpatione, sed successione, siue legitima donationis Dei transfusione, habentur à quibuscūque habeantur. Dedit pater Christo filio suo sacerdotium sempiternum & pontificium, iure iurando interposito, ita ut nemo habere possit nisi à Christo. Trāsfudit uero Christus in Apostolos: Apostoli porro in Titum & Timotheum, Marcum, Lucam, ac alios, cum potestate transferendi ulterius in idoneas personas: sub certis tamen regulis ad Titum & Timotheum expressis. Vnde Actorum 1. narratur. Cum Iudas iam pridem ordinatus à Christo Apostolus, & sacerdos abiisset in locum suum per mortem, produxit Di. Petrus ex psalmis: Et episcopatum eius accipiat alter, fuitque Psal. 108. 6 suffectus in locū ministerij eius, & Apostolatus Mat Act. 1. d. thias. Adeo ut nemo uuquam agnitus sit pro Papa, præfule, aut sacerdote in Ecclesia Dei: nisi genealogiam suam per medios præfules referreret in Apostolos, atque porro in Christum ac Deum. Quomodo Luc. 3. f. 2 Lucas refert genealogiam Christi per medios parentes in Adam primum parentem, ac denique in Deum. Omnis itaque collectio sectariorum recens nata intra annos quinquaginta, & per rebellionem consurgens his nouissimis temporibus (de quibus prædixerunt

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

runt Apostolus Pauli 1. ad Timo. 4. 1. et 2. ad Timo. 4. 4. Et Iudas circa medium epistolæ suæ canonice docentes, quod in nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis demoniorum, &c. Et non solum non admittēs sacerdotium, sacrificiū, altaria, Sacramentū, regendī potestates, quæ sub Apostolis in ueneratione fuerūt. Sed & persequens & extirpans eadem, quæ potest uiolentia: nec est, nec dici potest Ecclesia catholica: sed haberi debet adulterina siue Apostolica, connumeranda inter aduersarias atque malignantes eccle-

**Eccles. vna** sias Sathanæ. At nunc aliquid dicamus de unitate ecclesiæ catholicæ. Christus caput est ecclesiæ & Ecclesia corpus eius. Vnius autem capitis non est nisi unum corpus. Neque influit caput nisi in membra corporaliter sibi unita. Christus sponsus est ecclesiæ, & Ecclesia sponsa eius. Vnius autem sponsi non est nisi una sponsa iuxta primæuam institutionem fœderis connubialis Genesis 2. capite, & reformationem eius Matthæi 19. 4. Sacramentum hoc inquit Apostolus, magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Christus insuper figuratione quadam est Patriarcha Noë saluans saluandos in pelago mundi huius, sicut ille saluabat in diluuiō Ecclesia uero arca ipsius est, in qua saluat, ponens in ea quicquid saluandorum saluti necessarium erat sicut ille in arca diluuij: Extra arca autem Noë omnes peribant

**Ephe. 5. 5**

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

peribant quacumque arte uel medio sese iuuarent.  
 Extra ecclesiam quoque nulla est salus, quomodo-  
 cumque queratur. Ad hæc CHRISTVS dicit. Ephes. 5.  
 lexit ecclesiam & tradidit semetipsum pro illa, pro  
 illa, inquit, non pro alijs: igitur ijs qui foris sunt ex-  
 tra gremium Ecclesie, non prodest redemptio Chri-  
 sti. Legite Cyprianum epistola secunda libri quar-  
 ti. Et Augustinus de fide ad Petrum capite trigesimo  
 septimo & trigesimo nono. Et Ambrosium in com-  
 mentario epistolæ ad Titum. Si queras nunc, quo col-  
 ligentur uinculo membra ecclesie in fasciculo dictæ Triplex  
vinculum  
membro-  
rum eccle-  
siae.  
 unitatis? Vnius dico, & eiusdem fidei confessione:  
 uniformi sanctorum communione: unanimi consen-  
 su in domo Dei, sub præsentia quàm Christus in ea  
 esse uoluit. Primum docemur in illo Apostoli ad  
 Epheseos quarto a. Vnus dominus, una fides. Et in il-  
 lo Apostoli primæ Corinthiorum primo b: Obsec-  
 ro autem uos fratres per nomen domini nostri Iesu  
 Christi, ut id ipsum dicatis omnes. Id ipsum quod di-  
 ctum & doctum est ab initio. Id ipsum quod proba-  
 tur ubique pro omni populo rectè credentium,  
 & probatum inuenitur in omnibus legitimis con-  
 silijs ecclesie. Et non sint in uobis schismata: sitis au-  
 tem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.  
 Secundum, in symbolo Apostolico, ubi coniunctum po-  
 nitur sanctorum communio, cùm ecclesia catholica. Ter-  
 tium



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO.

tium, Psalmo quinquagesimo quarto capite ubi dicitur: Ambulaui in domo Dei cum consensu, ut nulla esset dissensio inter me caput uestrum & uos discipulos meos. Apud uos autem Sectarios nec cōfessio manet eiusdem fidei, quæ ab initio fuit. Quia hæreses docetis, & sanè tot, quot inter uos malignitate nobilia sunt ingenia. Nec uniformis sanctorū (hoc est eorum, quibus Deus sanctificat animas hominum, communio: nam in numero, ritibusq; Sacramentorum tantum a uobis ipsis, quàm ab Ecclesia catholica diuersi estis. Neque uerbum Dei, apud uos est, etiamsi scripturas sacras retineatis, singulis sectarum illas suo sensu interpretantibus. Nō autem sensu spiritus sancti quicquid eas dedit. At, ut inquit Hieronymus in primum capitulum ad Galathas, Non quidem in uerbis scripturarum esse, sed in sensu, Euāgelium Christi siue uerbum Dei.

Hieronymus.

Tertio non magis habetis consensum cum ijs qui legatione funguntur pro Christo sub presidētia Romani pontificis, qui lo cum Petri supplens uicarium agit eiusdem Christi in terris, quàm sub finem habuit cum ipso Christo Iudas proditor eius. Ideoque estis extra fasciculum dictæ unitatis extra meritum redemptionis Christi, extra arcam salutis, extra gremium sponsæ eius, extra corpus cuius ille caput est, ac proinde extra omnem spem salutis sic permanentes. At nunc uidendum quæ sit hæc una Apostolica ecclesia: Vniuersitas dico Christifidelium, quamlibet per

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

per orbem mundi diffusa, hoc est: Romana Ecclesia cum omnibus appendicibus sibi conglutinati fidei unitate, sanctorum communione, & consensu in domo Dei, est diciturq; una, uera, catholica & Apostolica Christi ecclesia, quomocunque per orbem sit dispersa. Cui uni Christus promisit patrocinium & inconcussam stabilitatem, dicens: Ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Rursus: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. De qua & Paulus asserit quod sit columna et firmamentum ueritatis: Quapropter in ea omnibus est permanendum, quãdiu uiuificus Spiritus hos reget artus. Non utique ob predictas tantummodo rationes quas conuincere scimus: uerum etiam ob uetustissimorum patrũ iudicia, inter quos Tertullianus sic docet: In illa est Ecclesia permanendum, quæ & fidei traducem, & semina doctrinæ ab Apostolis accepta in traditione publica retinet: uelut generosa soboles Apostolicarum ecclesiarum, cuius omnis doctrina cõspirat cum ecclesiis matricibus & originalibus fidei, docendo hoc ipsum quod priores Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Sic iudicat Tertullianus. Deinde Augustinus: in ea, inquit, permanendum est Ecclesia, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus usque in hodiernum diem durans & succedẽtium sibi met episcoporum serie, & tot populorum cõ-

Matth. 28. d

Luc. 22. c

1. Tim. 3. d

Iudicium  
Tertul. in  
qua sit ec-  
clesia per-  
manendũ.

Libro de  
præscri. he-  
reticorum  
ante mediũ  
Iudicium  
August.

## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Contra epi-  
 stola fun-  
 damēti c. 5  
 Iudiciū D.  
 Hieronim;  
 contra Lu.  
 ciferanos.  
 Iudiciū Cy-  
 priani Mai-  
 cyris.

sensione firmatur. Hæc ille. Tertiò addit Diuus Hie-  
 ronymus, inquiens: Breuem apertamq; animi mei sen-  
 tentiam proferam: In illa est ecclesia permanendum,  
 quæ ab Apostolis fundata usque in diem hanc perdu-  
 rat. Quisquis ab hac segregatus, inquit Cyprianus,  
 alienæ iungitur, à promillis Ecclesiæ separatur. Nec  
 pertinet ad Christi præmia qui iam reliquit ecclesiā  
 Christi. Alienus est, hostis est, habere non potest De-  
 um patrem qui Ecclesiam hanc non habet matrem.  
 Hæc & similia sanctus Cyprianus in tractatu de sim-  
 plicitate prælatorum, demonstrans ibidem multis  
 rationibus, unitatem Ecclesiæ non obstante nume-  
 rositate particularium Ecclesiarum, quæ per omnem  
 orbem extenduntur uelut numerosi unius arboris ra-  
 mi, eo quod unitas formatur in origine. Caput unum  
 totius ecclesiæ CHRISTVS. Pastor unius totius Ec-  
 clesiæ successor Petri. Origo una succrescens ab Hie-  
 rusalem, una unius originis series siue successio inter-  
 ficiens, una mater fecunditatis, incremento copiosa.  
 Sicut solis radij multi sed lumen unum; & rami arbo-  
 ris multi, sed robur unum tenaci radice firmatum &  
 fons unus ad plurimos de se generans in omnem par-  
 tem mundi riuulos.

Architecti dicunt in eodem  
articulo.

Cuius (scilicet uniuersalis ecclesiæ) Christus ca-  
put est: non autem Papa.

Re-

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

## Respondet veritas.

Act. 3. in re  
latione sy-  
nodi ad  
Leonem.

Concilium Chalcedonense, unum ex quatuor primis, quæ recipitis, clarè definiuit Romanum Pontificem successorem Petri, quem Papam nominamus, esse, uerequè dici caput Ecclesiæ. Verum arbitror non acceptare uos ex illis concilijs, aut Patrum traditionibus, nisi in quantum pro uobis facit, non autem in quantum contrà (ut sic dicam) more causarum licet barbarè, uerè tamen quod sentiunt obgarrientium in iudicijs. At esto, manet tamè irrefragabilis uerbo Dei, (de quo mox dicemus) Concilij quæ generalis attestatione probata ueritas, quia docetur & Christus & Papa esse caput ecclesiæ. Aliter tamen Christus: aliter uerò Papa. Ille quidem uerum atque uiuificum caput influens in membra sensum uitæ, donatione patris, qui subiecit omnia sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, Ephe. 1. d. (ueterem, nouam, triumphantem, militantem, particularem, uniuersalem, quaqua uersum diffusam) quæ est corpus ipsius et plenitudo eius. Iste uerò caput uicarium substitutione Christi, legatione fungens pro ipso interris. Quomodo prorex & proconsul, locum & functionem implent ueri Regis, uerique consulis. Profecto in omni Republica caput illius dicitur, cui incumbit super totum, & super omnia mēbra eius gubernatio, atque auctoritas. Quæ quidem in



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO.

Ecclesia catholica quam sit in Diuum Petrum eiusq;  
 successores transfusa, luce clarius testatur uerbum  
 Christi dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram  
 Matt. 16. c. edificabo ecclesiam meam. Et tibi dabo clauēs  
 regni celorum (hoc est ecclesie) Quodcunque liga-  
 ueris super terram, erit ligatum & in celis. Et quod-  
 cunque solueris super terram, erit solutum & in cæ-  
 lis. Vide ne promissionem magnificam quali fallere  
 non potest, qui est ipsa ueritas, etiamsi nulla alia a-  
 ctualis donatio foret subsecuta? Nihilominus audi  
 implctionem dictæ promissionis. Ioānis 21. e. Petre,  
 inqt, amas me? trina interrogatione, Pasce agnos me-  
 as, Pasce oues meas. Indefinita locutione utens. Qua-  
 lis in disciplinis ualet uniuersalem. Igitur omnes a-  
 gnos, omnesq; oues meas citra exceptionem ullius,  
 qui uel ouis, uel agnus Christi haberi querit. Anne  
 oues Christi erant reliqui Apostoli, & discipuli, et  
 alij accrescentes paulatim tam de populo, quam de  
 primatibus mundi huius: Si erant. Ergo subiecti fue-  
 runt, & sunt, Petri pasturæ, quæ gubernationem in-  
 cludit, cum authoritate secundum scripturam. Imo  
 est eadem illa, qua & Christus præfedit Ecclesie suæ.  
 Ioan. 21. f. Dicit enim: Sequere me, id est. præfidas Ecclesie, si-  
 cut ego hætenus præfedi. Quò uerius hoc dictum  
 Christi refertur, quam aliorsum.

Eadem omnino est potestas gubernationis Ec-  
 clesie in Deo, in Christo homine, & in præposito ec-  
 clesie

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

celſe. In Deo quidem per eſſentiam: In Chriſto uero,  
donatione patris. In præpoſito denique ſubſtitutiõe  
Chriſti. Eadem quoque eſt in ſummo Pontifice, &  
reliquis epiſcopis. Sed in illo per plenitudinem, &  
ſuper omnem eccleſiam, omniaq; negotia eius: quod  
in donatione clauũ regni cælorum pulcherrima phra-  
ſi exprimitur. Nam quis peregrinaturus quopiam,  
cui committet clauẽ domus ſue: non quidem unam  
ac alteram, ſed clauẽ ſimpliciter ac indefinitè, illi  
plenam, ac omnimodã gubernatõe domus, commi-  
ſſe intelligitur. In reliquis uerò Epiſcopis etiã eſt:  
ſed non cum ea plenitudine. Nulli enim, excepto Pe-  
tro, dictum eſt: Tibi dabo clauẽ regni cælorum. Ne-  
que cum ea extenſione. Quisq; enim in ea duntaxat  
ditione, qui ſibi in ſortem uenit, poteſtatem habet.  
Huic doctrinæ conſentit, ex præallegatis ſcripturis,  
ueneranda patrum antiquitas. D. Cyprianus (Lege epi-  
ſt. 2. lib. 1. & 8. lib. 4.) D. Hieronymus (epiſtol. ad  
Damaſum) Ambroſius in ultimo caput Luca. Diuus  
Auguſtinus in Pſalmo contra partem Donati, plu-  
resq; alij.

Matt. 16. e

Architec̃ti dicunt in eodem  
articulo.

Vtendo in illa) ſcilicet Chriſti eccleſia) homini-  
bus tanquam inſtrumentis: nempe legitimè uocatis  
concionatoribus uerbi Dei.

SVCCINCTA DEMONSTRATIO  
Respondet veritas.

Misella admodum est Ecclesia, & à sponso suo infelicitè dotata: si in ea tantummodo constitutum sit munus prædicandi uerbū Dei. Vt hoc loco insinua re uideamini. Alibi autem docetis expressè. Quod quidem munus in ecclesia esse, ut scriptura testatur, ita cōfitebuntur omnes. At non solū. Haudquaquā enim frustra dictum est. Primū Petro: Quodcunque ligaueris Matth. 16. c  
Matth. 18. c super terram, &c. Deinde reliquis Apostolis: Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in celo, &c. Quo datur potestas constituendi, firmandi, dissoluendiq; quod in adificationē est ecclesia, nō autem in destructionem. Rursus haudquaquā frustra dictum est: Amē dico uobis &c. in regeneratione (quæ tūm incæperat) cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ (quod initium habuit à die ascensionis in celum) sedebitis & uos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus israel, hoc est, uniuerſitatem credentium. Simile est Lucæ. 22. Quo data sunt ecclesiæ tribunalia, hoc est iusti iurisq; dicendi potestas. De qua & Paulus subinde loquitur. Tertio haudquaquā frustra dictum est à Paulo: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo posuit uos spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiā Dei. Quo significat Episcopos spiritus sancti ordinatione in Ecclesia constitutos esse, regendi causa

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

di causa etiam auctoritatiuè. iuxta illud: Quid 1. Cor. 4. d  
uultis in uirga ad uos ueniam, an in charitate & spi-  
ritu mansuetudinis? Et illud: Argue cum omni Tit. 2. d  
imperio, nemo te contemnat. Quarto haudqua- Luc. 22. b  
quam frustra dictum est: Hoc facite in meam comme-  
morationem. Quo sacerdotij sacrificijque Missarum  
potestas instituta est. Quinto nequaquam falsò aut  
frustra dictum est: Sicut misit me pater & ego mitto 102. 20. e. f  
uos. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis  
&c. et. Quo datur potestas relaxandi peccata. Deni-  
que nequaquam frustra dictum est: Erue, absconde, Matt. 18. b  
proijce abs te. Et hoc: Sit tibi sicut Ethnicus & publi-  
canus. Quaecunque enim alligaueritis &c. Quo da-  
tur excommunicandi potestas, neruus tranquillitatis  
publice conseruanda. De qua latius infra. Præter mu- Artic. 17.  
nus itaque prædicandi uerbum Dei, de quo loquimi-  
ni & administrandi sacramenta, quòd alij ex uobis  
addunt, sunt in ecclesia potestas sacerdotalis, coniu-  
ctam habens potestatem absoluedi: Potestas Epi-  
scopalis, potestas præsidendi, tribunalia iuris dicen-  
di, auctoritas excommunicandi: Quod licet firmissi-  
ma fide credendum est, quia uerbum DEI expresso  
sermone dictis in locis testatur:

Tamen ut dolo si homines, omnes illas fraudulen-  
ter prætermittitis. Et cum de una sola agitis indebitè  
utimini his uocibus: Legitimè & uocatis, r. feren-  
tes, illas quātum apparet ad magistratum secularem



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

**Rom. 1. a** & populum: Vt qui illi acciuerint legitimè vocatus  
 habeatur. Caterum iuxta scripturam sacram, appel-  
 lantur uocati, omnes Christifideles. At qui potestati-  
 bus prænarratis funguntur etiam concionandi, dicen-  
 tur missi, siue constituti, uel ordinati, rarius uocati,  
**Rom. 10. c** nec id nisi relatione facta ad Deum. Non enim quis-  
**Titu. 1. b** quam sumit sibi honorem, sed qui uocatur à Deo tan-  
**Heb. 5. b.** quam Aaron. Porro legitimum dicitur, quod  
 legibus indultum, aut legibus comprobatum inue-  
 nitur. Vtique ergo à DEO missum uel uocatum, le-  
 gitimum haberi debet. Attamen ostendendum  
 est signis, uel miraculis, aut alio modo, quantum sa-  
**Ioan. 5. f** tis fuerit ecclesie Dei. Sicut Deus pater de filio misso  
**Ioan. 10. g** sufficienter ostendit mundo, ut patet apud Ioannem,  
**Marc. 16. d** & per omnia Euangelia. Deinde & filius ostendit  
 de Apostolis à se missis, dicente Marco: Illi autem  
 profecti prædicauerunt domino cooperante, & ser-  
 monem confirmante, sequentibus signis. Merito sanè  
 quia familiare erat pseudoprophetis mendaciter ias-  
 titare, se à Deo missos esse. Dicēte domino per Hiere-  
**Hiere. 23. c** miam: Non misi eos & ipsi currebant. Rursum mis-  
 sum esse uel constitutum à præpositis ecclesie haud  
 dubiè & hoc legitimum est, binè comprobatum scri-  
 pturis, modo eius quoque missionis testimonium ad-  
 ferant. Caterum uocatum esse à magistratu seculari,  
 uel populo loci, ubi prædicandum erit, uel aliud mi-  
 nisterium exercendum, illegitimum est, nusquam at-  
 testa-

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

testatum in scripturis. Non enim, inquit Paulus ad Titum, deligant sibi in ciuitatibus ministros Eccle- Tit. 1. b  
siae suae, sed tu Tite constitue per ciuitates Praebyte-  
ros, sicut ego disposui tibi. Et Christus: Ecce ego mit- Mattb. 10.  
to uos, sicut oues in medio luporum. Et rursus cris-  
tis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudaea & Sa Aetor. 1. b  
maria, & usque ad ultimum terrae. Euntes in mun- Marc. 16. d  
dum uniuersum predicate euangelium omni creatu-  
rae. Ratio istius est, quia seculares potestate carent in  
hac parte, suntq; affectus eorum & aures plerunque  
prurientes ad noua, & ad placentia. Nonnunquam  
etiam ad errores iuxta Prophetam Esaia: Populus ad  
iracundiam prouocans, filij mendaces, filij nolentes Esa. 30. b  
audire legem Dei, qui dicunt uidentibus, nolite uide-  
re, & aspicientibus nolite, aspicere quae recta  
sunt. Loquimini nobis placentia, uidete nobis erro-  
res, cesset à facie nostra sanctus Israël. Quod ipsum  
Paulus eleganter depinxit dicens: Erit enim tempus, 2. Tit. 4. a  
cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua de-  
sideria coaceruabunt sibi magistros prurientes ami-  
bus. Et à ueritate quidem auditum suum auertent: ad  
fabulas autem conuertentur.

### Architecti dicunt in 8. articulo.

Christum semel unam obtulisse hostiam in cru-  
ce, & per unam oblationem sanctificasse sanctifi-  
candos. Ita quod non restet oblatio pro peccatis.

Et

SVCCINTA DEMONSTRATIO  
Et proinde nihil esse missas, horas Canonicas, Purga-  
torium.

Respondet veritas.

**Heb. 7. b.**

Apostolus sapienter docuit Hæbreos, quibus lex cognita erat Christum habere sacerdotium sempiternum secundum ordinem Melchisedech. Non autē secundum ordinem Aaronis, quia de alia tribu est, de qua nullus altari præstò fuit. Quoniam tamen cruenta illa sacrificia Aaronis præsignificabant oblationē futuri Messie, obtulit & ipse seipsum semel sacrificium cruciatum in effusione sanguinis sui: Nihilominus etiā obtulit seipsum hostiā mundam & incruentam

**Gen. 14. d.** sub speciebus panis & uini (uti infra fusius explicabimus) Sicuti Melchis. obtulerat in typum ipsius, hostiā in pane & uino, sine sanguinis effusione. Alioq;  
**Vide B. Augu 16. de ciuit Dei. c. 22. & 17 li.** non fuisse sacerdos in æternum secundum ordinem  
**br. ca. 17. & Mel.** Quod tamē cōstāter asserit Paulus & docet ex  
**20. & 1 i cō** Psal. Quæ quidem Christi oblatio incruēta facta fuit  
**tra aduer.** post esum agni typici in cœnaculo Paschæ, & ibidem  
**legis &** quoque dedit suis Apost. potestatem similiter offerē  
**Pro. c. 20.** di in memoriam sui. Nec dedit solū, sed & instituit,  
**Psal. 109. c.** docuit, & præcepit sacrificium altaris fieri. Omnib.  
**Luc. 22. b** enim illis uocibus utuntur uetustissimi patres. Euse-  
**Lib. 1. de mōst c. 10** bius Cæsariensis, aliāsq; (scilicet oblationis Christi)  
**paulò ante finem.** memoriam ut nos ipsi Deo pro sacrificio offeremus  
**Psal. 33** instituit August. Postea (scilicet post esum agni typi-  
ci) ip-

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

ei) ipse Christus de corpore suo, & sanguine suo in-  
stituit sacrificium secundum ordinem Melch. Irenæus: Ire. li. 4. cōtra hæ. c. 32. sub finē  
Cum inquit eum qui ex creaturis est panis, accepit,  
gratias agens, ac dicens: Hoc est corpus meū: tunc no-  
ui testamenti, nouam docuit oblationem: Idem dicit  
Amb. in offi. Missæ, quod ipse composuit, & Medio- Amb. Cyp. lib. 2. epi. 3.  
lani adhuc in usu est. Adhæc Cyp. Si inquit in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est:  
Vtiq; id facere nos oportet, quod ipse fecit, & facien-  
dum esse mādauit: Afferens Christū egisse sacerdotē  
secundū ordinem Melch. offerendo in coena panē &  
uinū, nēpē corpus & sanguinem suū: Hoc enim (ut  
Theodoretus docet) præcepit nobis ipse dicens: Hoc Theodor.  
facite in meam commemorationem. Et Alex. Mart. cū  
sua synodo scribens omnibus orthodoxis Episcopis  
dicit: Ipsa ueritas nos instruxit panem & uinum in  
Sacramento offerre quando accepit Iesus panem & Ale. Mar. e. pi. 1. ad. oēs orthodox. circa me- dium.  
benedixit, & cæt. Obseruandæ sunt dictæ uoces qui-  
bus utuntur: Instituit, docuit, instruxit, mandauit,  
præcepit: Addit. B. Augustin. Ecclesia à temporibus  
Apostolorum, usq; ad nostra, & deinceps tempora  
perseuerat, & immolat Deo in corpore Christi sacri Aug. li. 1. & aduer. legis & Pr. c. 19.  
fictum, non secundum ordinem Aaron, sed secundum  
ordinem Melchisedech. Addit & Irenæus suæ asser-  
tioni: quam, scilicet oblationem, Ecclesia ab Aposto-  
lis accipiens in uniuerso mundo offert, hoc est Eucha-  
ristiam, loco præallegato. Quemadmodum quotidie  
adhuc



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Mata. 1.e

adhuc sit ad altare in sacrificio Missæ. Eodē sanè modo quo longè ante Prophetatum fuerat per Malachiam Prophetam in hunc modum. Non est mihi uoluntas in uobis (loquitur ad Iudeos) dicit Dominus exercituum, & munus nō suscipiam de manu uestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus (obserua quod dicit in gentibus) & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum. Oblatio, inquit, munda, hoc est incruenta & sine mactatione, uel alia impuritate siue imperfectiōe, ut inter Iudaica sacrificia offerri solet. Quæ sanè Prophetia intelligi nō potest quàm de Sacrificio Missæ per Christum instituto, in quo offertur uera puritatis hostia, Christus dominus. Quemadmodum expressè testatur Irenæus, & D. Augustinus & Hieronymus commentans in prædictum Malachia locum. Offert denique Christus se ipsum indefinenter in cælis sub propria specie gloriificata, assistens uultui patris ad interpellandum pro nobis. In quibus sanè oblationibus crucis, cœnæ, altaris, & in cælis, quia semper unum ac idem offertur: nempe caro & sanguis Christi: Ideo una & eadem est oblatio etiam si diuersimodè fiat. Quam identitatem: sub diuersis tamen offerendi modis pulcherrimè exprimit Chrysost. homilia. 17. in epistolam ad Hebræos, & homilia 2. in fine in epistolam 2. ad Timotheum

Ll. 4. cōtra  
hære. c. 32.  
18. de ciuit.  
Dei. ca. 35.  
Heb. 7. d.  
Heb. 9. f

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

theum. Siquidem in cruce facta est cruentè: & in cœna uero & altari symbolicè & Sacramentaliter: uerè tamen. In celo autem sub propria forma, & natiua membrorum extensione: Illic passibiliter sub tormentis mortis: hic impassibiliter in gloria Dei patris. Et fere patres antiquitus inspicientes istam hostie identitatem cum diuersis oblationis modis, usi sunt subinde his uocibus distinctiuis: cruenta & incruenta: in sanguine & sine sanguinis effusione. Hinc Nazianzenus: O sacrificia, inquit, mittentes incruenta sacer dotes. Et Cyrillus contra Nestorium: Sanctum ac uiuificum & incruentum in ecclesiis celebramus sacrificium. Idem legitur in concilio Ephesino ante annos mille centum, & in concilio Niceno secundo celebrato anno 800. Actor. 6. Ex quibus præmissis facile est diluere obiectiunculam natā ex uerbis Pauli: Semel, & una: Quod enim dicit: Oblatus est semel ad multorū exhaurienda peccata, intelligitur de cruenta illa oblatione crucis, ut contextus sermonis demonstrat. Quod uerò dicit: Vna oblatione consummauit in sempiternū sanctificatos, de omnibus prædictis accipiendū est, quæ nō nisi una & eadem sunt oblatio: In cœna inchoata, in cruce peracta, in Missa recordatiua eius quod factū fuit in cruce, cū exhibitione pretij pro totius humani generis redēptione: qua recordatiua oblatione fructus illius cruenti sacrificij applicatur illis pro quib. in Missa offertur. Quod au

In carmine quodā ad Episcopos in principio.  
In declaratione 12<sup>a</sup> anathematis. tō. 4.  
Epi. Concilij ad Nestorium.  
Heb. 9. g  
Heb. 10. c

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

tem Christus in coena non solū consecrauerit panem  
 & uinum: sed & sub illis speciebus obtulerit, patet.  
 Primò quia Melchisedech typum ipsius gerens obtu-  
 lerat. Secundo. Quia ipse Christus uocat Pascha di-  
 cens: Desyderio desyderavi hoc pascha manducare  
 uobiscum, antequam patiar. Hoc scilicet quod mox  
 porrigam sub speciebus panis & uini. Eò enim refe-  
 runt Tertullianus aduersus Marcionem. Cyprianus  
 de coena domini, & Hieron, in 26 cap. Matth. Si Pa-  
 scha erat, ergo offerri debuit, deinde edi secundum  
 consuetudinem agni paschalis typici. Tertiò ex eo  
 quia additur: Quod pro uobis datur, per uerbum  
 praesentis temporis, tam secundum Græcos, quàm  
 Latinos: Datur inquam Deo pro uobis Dare autem  
 Deo pro hominibus saluandis, est illi offerre. Quar-  
 tò. Quia dicit Apostolus: Habemus altare, de quo  
 non habent potestatem edere, qui tabernaculo deser-  
 uiunt. Si altare, Ergo & sacrificium. Quia altare  
 est propter sacrificium. Dicit autem: Nos habe-  
 mus altare. Non igitur pertinetis uos ô Caluini-  
 stæ ad societate Pauli Apostoli: quia uos subuertitis  
 altaria, & templa uestra sacrificijs, altaribusque uac-  
 cua esse uultis. intellexerunt insuper Apostoli, in il-  
 lis uerbis domini: Hoc facite in meam commemora-  
 tionem, datam sibi fuisse Potestatem consecrandi, of-  
 ferendi, & sumendi, quod est Missam facere. Sicuti  
 illa tria, partes primariae sunt, & praecipuae Missae.

At

Luc. 22. b

Lib. 4. cir-  
 ca finem.

Heb. 13. b

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Atque idco fecerunt sic postea Actorum decimoter- In vita M.  
tio a. Ministrantibus, inquit Lucas, illis & ieiunā- Andr. per  
tibus, & cet. Vbi Græcus textus habet. Sacrificanti- præsbyte-  
bus, illis, hoc est, Missam celebrantibus. Et Beatus ros & dia-  
Andreas: Ego, inquit, omnipotenti Deo, agnum im- conos eccle-  
maculatum offero: Qui cum à toto populo comestus siarū Acha-  
fuerit, integer perseverat. Et Beatus Apostolus Mat- iæ Abdias  
thæus inter celebrandum Missarum solennia trans- in vita  
fossus Martyrij coronam adeptus est. Insuper Beatus Matth.  
Gregorius ad Syracusanum Episcopum, asserit Pe-  
trum Missam celebrasse Antiochiæ. Meminerunt quo  
que missæ uetustissimi patres: Clemens discipulus & Epist. 2  
successor Petri, Ignatius discipulus Ioannis Apostoli, né. l. de cul  
Tertullianus, & Ambrosius, Chrysostomus insuper tu femina  
& Cyprianus locis supra adductis. Et alij. narū ep. 33:  
ad Marcel-

Quod autem necessario in Missis offerendum sit  
pro defunctis, conuincitur hoc modo: quia oblatio  
Christi consummata in ara crucis, operabatur effe- ad Marcel-  
ctum salutarem tam in defunctis, quam in uiuis De il- linā soro-  
lis enim dicitur: Et aperta sint monumenta, & mul- ré suā, & ee  
ta corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt: pi. 8 ad fau-  
& exeuntes de monumentis post resurrectionem e- stinum Sa-  
ius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt crificiū pa-  
multis: De istis uero: Et omnis turba corūq simul a- gitur pro  
derant ad spectaculum istud, & uidebant quæ fiebāt defunctis  
percutientes pectora sua reuertebantur. Matth. 17. f  
Loquitur  
etiam



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

etiam & illud Zachar. 9. c. de defunctis: Tu uero in sanguine tuo emisisti uinctos tuos de lacu, in quo nō est aqua. Quis negabit quin hæc efficacia oblationis Christi effecta fuerint? Nostra autem altaris oblatio recordatiua est illius Christi. Debet itaque & in ea fieri oblatio pro utriusque, tam defunctis quā uiuis. His accedit, quod Diuus Augustinus damnat hærescos Aërium: quia negaret in Missa offerendum, aut alias orandum pro defunctis. Quem eundem & eadē ex causa damnat Epiphanius dicens, Ecclesiam: id scilicet esse necessario traditione à patribus accepta. Præterea Chrysostomus docet sancitum esse ab Apostolis, & id non temerè ut in temendis mysterijs, Missarum scilicet, defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim illis inde multum contingere lucrum utilitatem multam. Idem habet & eisdem pene uerbis in epist. ad Philip. Item homil. 21. in acta: Non frustra, inquit, oblatiōes pro defunctis fiūt, non frustra preces, nō frustra elemosinæ: Hæc omnia spiritus disposuit uolēs ut nos mutuū inuemus. Tercio Isidorus Sacrificiū pro defunctorū requie, offerre, quia per totū orbē custoditur, credimus ab ipsis Apostolis esse traditū. Quarto Damaſcenus scribēs de his qui in fide hinc migrarunt, asserit Apostolos prædicādo uerbum uitæ edixisse, hoc est, mandasse: ut in tremendis. uitalibusq; Sacramentis (missarum scilicet) memoria agatur eorum qui fideliter hinc migrarunt, affirmās eius

In lib. de hæres. hæ. ref. 53. Li. 3. de hæresibus hæref. 75. Ho. 69. ad populum Antiochenū.

Serm. 3.

Ep. 1. de ecclesiasticis offic. c. 18.

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

eius tunc fuisse generalem consuetudinem per omnē Ecclesiam, sed & Tertullianus, lib. de corona militis circa principium, annumerat morem offerendi pro defunctis inter eas observationes, quæ tum temporis, anno scilicet 110. aut circiter, ex maiorum traditione manarant. Testatur insuper & Cyprianus Epi. 9. li. 6. etiam suo tempore fuisse consuetudinē offerendi pro defunctis, nolens ex constitutione maiorum, quod offerretur pro dormitiōe illius, qui ad curam bonorum suorum clericum nominauerat. Omnium autem copiosissime probat istud D. Augustinus, partim in Enchirid. ca. 110. ridio ad Laurētium, partim & maxime de cura pro mortuis agenda, Et lib. 9. confessionum. Probat autē ex consuetudine à patribus accepta, ex communi usu, <sup>De cura & mortuis c. 1. Cap. 13.</sup> quod est & auctoritate totius ecclesiæ, ex scripturis denique in eum finem citatis.

### Architecti dicunt in eodem articulo.

Missam inuentione humana excogitatam esse: quodq; in ea offeratur pro uiuis & defunctis: similiter & purgatorium, & uigilias, & exequias, & alia officia Ecclesiastica.

### Respondet veritas.

Tremendum missarum sacrificium, fuisse à Christo domino per semetipsum institutum, doctum atq; mandatum: non autem succedente tempore ab hominibus excogitatum: fuisse quoque & sub Apostolis  
E & post

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Et post Apostolos in hac usq; tēpora religiosa obser-  
 uantia perenniter in usu retentum, atque in eo obla-  
 tionem semper factā non pro uiuis tantū, sed pro de-  
 functis, iam iam demōstratum est, quantum ueræ pie-  
 tati satis esse debet. Attamen ut calumnie uestre con-  
 tra purgatorium et oblationem pro defunctis ma-  
 gis elucescant, recolligam argumentum. Si obtulit sci-  
 psū Christus non pro uiuis dantaxat, sed et pro  
 defunctis uti effectus edocuit Matth. uigesimo septi-  
 mo. f. Si consuetudo offerendi pro defunctis obtinuit  
 auctoritatem ex patrum traditione, etiam ante an-  
 nos mille trecentos, ut Tertullianus docet: Si ab Apo-  
 stolis sancitum est et spiritus sanctus ordinatione fa-  
 ctum: ut memoria habeatur defunctorum in Missa,  
 ut Chrysostomus asserit: Si ecclesia necessario hoc à  
 patribus accepta traditione perficit, secundum Epi-  
 phanium: Si hæreseos damnarint idem Epiphanius,  
 et Augustinus Aërium, quod cōtrarium docere præ-  
 sumpsisset: Si insuper ab ipsis Apostolis sic traditum  
 fuisse credebatur, et eius observatio per totū orbem  
 uigebat adhuc circa annum D. 630. uti Isidorus testa-  
 tur, qui tunc claruit. Si sic ab Apostolis diuino  
 ore annunciatum est, uti affirmat Damascenus, erat  
 quæ suo tēpore circa annum D. 733. quo scripsit, ubi  
 que in obseruatione: Si deniq; D. Aug. lib. suo de cura  
 pro mortuis agenda. Item in Enchiridio ad Laurenti.  
 Item in serm. 34. de uerbis Apostoli, et in li. 9. cōfes-  
 sionum

In serm. de  
 his quæ in  
 fide hinc  
 migrarūt,  
 post mediū

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

sioum, urget uniuersitatem ecclesie sui temporis: Urget & illud 2. Machabeorum. 12 f. Misit Hierosolymam duodecim millia drachmas. Urget praterea consuetudinem ab antecessoribus acceptam: urget denique pium sancte Monice matris sue uotum, que moriens memoriam sui ad altare Christi fieri desiderauit, ligans animam suam uinculo fidei ad precij nostri Sacramentum. Quis, nisi fronte carens, poterit improperare Ecclesie, excogitari cepisse missam, ritumue offerendi pro defunctis a temporib. D. Gre. circa annum 594. Aut Purgatoriū primo inuentū anno 400. Cōclusum uerò an. 1000? Haudquaquam enim fuissent hæc cū Euāgelio nata, & huc usque cum eodem producta, nisi certissima fide creditum extuisset de Purgatorio, quod etiam nunc credimus. Nemp̃ animas discedentium hinc cum pietate, iuari sacrificijs nostris Missarū, oratiōib. insuper & eleemosynis huius uiuentiū, quo uel mitius cum eis agatur in pœnis purgatorijs, uel citius ab eisdem liberentur. De oblationibus quidem abūdē satis dictum est. De orationibus uerò & eleemosynis nunc porro audite. Et primum de orationibus nostris, q̃ prosint defunctis attestatiōe tā ueteris q̃ noui testamēti Nā 2. Machab. 12. f. sic asseritur: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exercere, ut à peccatis soluantur: Sancta utiq; & salubris etiā ipsis criminibus qui species est ueræ misericordiæ erga illos, qui cum pietate dor-

Li. 9. cōtra  
sell. ca. 11.

De oratio  
nibus pro  
defunctis



## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

**Eccle. 16. b**

**De cura p  
mortuis  
cap. 1.**

**Cap. vi.**

mitionem accipientes optimam habent repositam  
speciem. Necdum ueritatem eius affecuti. Omnis autem  
misericordia facit locum unicuique, secundum meri-  
tum operum suorum. Ne uero quispiam parui faciat  
dictæ scripturæ argumentum utitur illo, D. August.  
asserendi causa, quod diximus, utuntur eodem & alij  
patres. De reliquis ueteris testamenti scripturis  
infra mentio fiet. Deinde in nouo testamento Ioānes  
Apostolus in sua prima canonica sic docet: Si quis  
scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem,  
petat, & dabitur illi uita peccanti non ad mortē. Est  
peccatum ad mortem non pro illo dico ut roget quis.  
Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad  
mortem. Nihil hoc loco de Iudeis, & gentibus  
cura est Apostolo (omnes enim illi peccant pec-  
catum ad mortem) sed duntaxat de fratribus, qui  
peccant, alij peccatum ad mortem, alij peccatum  
non ad mortem. Est autem peccatum ad mor-  
tem quod perdurat usque ad mortem inclusiue ha-  
bens coniunctam finalem impoenitentiam. Nec  
dici potest Apostolum per peccatum ad mortem in-  
tellexisse peccatum mortale. Primum quia impium  
foret prescribere non orādum pro peccatoribus mor-  
taliter: Pro quibus imprimis & quā maximē ora-  
tio fieri debet ut resipiscant. Secundo quia subiūgit:  
omnis iniquitas est peccatum haud dubium mortale.  
At inter mortalia aliud est nō ad mortē, aliud uero  
ad

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

ad mortem, scilicet perdurans. Est quoque perinde siue uocula demonstratiua; illo, referatur ad peccatum (uti apparet secundum textum Græcū,) siue ad peccantem peccatum. Non enim docet orandum uel non orandum pro peccato ratione sui, sed tātummodo ratione peccantis peccatum. Qui si perseueret in peccato ad mortem usque, Nō pro illo dico inquit, ut roget quis. Ceterum si appareant in fratre peccante signa poenitentiae ante expirationem animæ, pro illo dico petat, hoc est, ordino & præscribo ut oret, & dabitur ei (procul dubio ad meritum orationis intercedentis) uita beatitudinis scilicet in regione uiuorū extra angustias mortis: Nam uita qui uiuunt animæ in poenis expiatorijs, mors potius dicenda est, quam uita. Hanc Ioannes Apostolus præscriptam regulam obseruat inuiolabiliter mater ecclesia: adeo ut nunquam permiserit orationes publicas exequiarū aut alias fieri pro ijs fratribus, qui palam obstinate moriuntur in heresi aut schismate aut usura, aut meretricio, aut odio fraterno, alijsue sceleribus, uel qui se ipsos interemerunt laqueo, gladio, undis uel alio modo. Pro alijs uero fratribus qui dormitionem acceperunt cum pietate (quantum apparet) sacramentis ecclesie postulatis quantumnis enormiter antea peccauerint, & intercedit religiosè ecclesiæ, & intercedendum docet. Etiam in ecclesiasticis officijs funeris siue exequiarū, in septenarijs, tricenarijs, anniuersarijs,

# SVCCINTA DEMONSTRATIO

Ca. 7. eccle haud secus nūc atq; legitur ab incunabulis suis factū,  
 Hie. Nam Diony. Arcop. cōtemporaneus Apo. sic tradit:  
 rar. parte 3 Accedens uenerandus antistes, precē super mortuum  
 paulo post peragit, & suo deinceps ordine omnes precantur di  
 principiu. uinam clementiam, ut cuncta dimittantur per infir  
 mitatē humanā admissa peccata, defuncto etiā sub eu  
 charistiæ oblatione. Dicens de prece super defunctū  
 facienda ex diuinis ducibus (id est Apost.) traditio  
 ad nos peruenit, quod est exequias celebrare. Post  
 Dionysium Tertul. de monogamia & de exhortati  
 one castitatis expressē meminit & orationum in die  
 dormitionis, quas exequias uocamus, & annuarum  
 precum atq; oblationum pro defunctis, quas annuer  
 sarium appellamus. Sed & Nazianzenus describit Cō  
 stantium imperatorem elatum fuisse ad sepulchrum  
 cōmunib. omniū laudibus & pompis, ijsq; uenerādis,  
 nec non cantibus tota nocte resonantibus, ac lumina  
 ribus accensis: qualia etiam nunc fiunt in exequiis  
 potentium. Post hos D. Ambrosius testatur, usque ad  
 sua tempora diligenter in ecclesia obseruatos fuisse  
 tertium, septimum, trigessimū dies pro defunctis,  
 dicens. Alij tertium & trigessimū obitus diem,  
 Alij septimum & quadragesimum obseruare consue  
 uerunt, & utraque obseruatio auctoritatem habet,  
 qua necessarium pietatis impletur officium. Idem in  
 tractatu de fide resurrectionis: die inq; septima ad se  
 pulchrum redimus, qui dies symbolum est futuræ  
 quicq;

Or. 2. in Iu  
 lianū Im  
 peratorem  
 ante me  
 dium.

In orat. su  
 per obitu  
 Theodosij

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

quietis. Sed & Iodannes Damascenus mentionem  
facit trigesimi & quadragesimi, & anniuersarij  
cum memorijs & sacrificijs. Etiam Origenes docet Origen. in  
usitatum fuisse suo tempore memorias facere paren. Iob. li. 3.  
tum & amicorum in fide morientium, prout adhuc sub fin.  
moris est, ut pij Christiani si non singulis, saltem cer  
tis diebus nempe septimo, trigesimo, anniuersario  
memorias suorum necessariorum iterent ad ecclesiã  
& sepulchrum defuncti orationis causa conueniẽdo.  
Nec ista aliunde exordium sumpsisse quam ex uer  
bo Dei certissimum habetur: Genesis enim 23. allega  
tur de officio funeris siue exequiarum quod religio  
se impendit Abraham uxori suæ Saræ prostratus in  
fletu & oratione. Dicitur enim: cumque surrexisset  
ab officio funeris locutus est ad filios Heth, &c. Simi  
liter cap. 50. b. narratur quod filij Israel celebrantes  
exequias patris sui Iacob planctu magno & uehemẽ  
ti impleuerũt septem dies. Et est inuenire ibidẽ quod Cane. 50. a  
Aegyptus, fleuerit Iacob patrem Ioseph defunctum Deut. vlt.  
septuaginta diebus. Quemadmodum & filij Israel nepe 34. c  
defleuerunt Moysen defunctum triginta diebus in cã  
pestribus Moab. Ecce manifesta mentio in scripturis  
sanctis officij funeris siue exequiarum, septimi siue se  
ptenarij, trigesimi siue tricenarij & septuagesimi.  
Idq; ante uigorem legis scripte, spiritu Dei, ita sug  
gerente in cordibus sanctorum. Profecto non potest



## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

aut uanum censeretur, aut nouitium esse, quod tanto tempore in obseruatione fuit, & radicem habet in scripturis sacris, patrumque attestationibus. Ante annos centum abiurarunt hanc hæresim Græci quod suffragia uiuorum non prodesse defunctis in concilio generali Florētino. Sed & in cōcilio Cartaginēsi quarto, cap. 95. damnantur qui retrahunt populum à suffragijs uiuorum pro defunctis. Sicut eadem de causa damnatus fuit hæreseos Aëreus tam ab Epiphanio, quam ab Augu. ut supra dictū est. D. insuper Bernardus ante annos quadringentos annumerauit inter hæreticos illos, qui nolunt orandū pro defunctis. Quod denique pium sit facere eleemosynarum distributiones, ut misericordius agatur cum defunctis, liquet: partim ex scriptura Tobie 4. c. ubi pater instruit filium dicens: Fili panem tuum ac uinum super sepulturam iusti constitue. Iusti, inquit, hoc est eius, qui cū pietate dormitionem accepit. Et quidem super sepul-  
 turam eius, quia statim post mortē ipsius dum adhuc sepultura sit, funusque curatur. Partim ex Patribus: Nam Clemens Martyr contemporaneus Apostolis, scribit, tunc temporis in pretio fuisse & commendatione dignum infirmos uisitare, mortuos sepelire, exequias eorum peragere pro eisque orare & eleemosynas facere. Idem inueniunt in Chrysostomo. Insuper & D. Augustinus scribit. Neque negandum defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari,  
 cum

De eleemo-  
 synis pro  
 defunctis.

Epl. 1. ad 5.  
 Iacobū fra-  
 trē domini  
 sub finem.  
 Ho. 69. ad  
 populū An-  
 tiochenū.  
 In Enchiri-  
 dio ad Lau-  
 rent, c. 109

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

cum pro illis sacrificiū mediatoris offertur, uel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Quibus uelut epilogum addo, quam habet idem August. sententiā sermonē 34. de uerbis Apostoli: orationibus, inquit, sanctæ ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur non est dubitandum mortuos adiuuari, ut cum ijs misericordius agatur, quam eorum peccata meruerunt: hoc enim à patribus traditum uniuersa obseruat ecclesiā, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi cōmuniōe defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quoque illud offerri commemoretur. Cum uerò eorum commendandorum causa, opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis sed talibus, qui iam uiixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramētis de corporibus exierūt frustra illis à suis huiusmodi pietatis impendantur officia, cuius dum hic essent pignore caruerunt, uel non suscipientes, uel in uanū suscipientes. Di gratiam, sibi non misericordiam thesaurizantes sed iram. Hucusque Augu. At dicitis non esse purgatorium post hanc uitam. Quorsum igitur De Purgatorio.

## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

**2. Th. c. i. c.** paratum diabolo, & angelis eius: in quo pœnis dantur  
bunt in interitu æternas, & qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio domini nostri Iesu Christi à facie ipsius & gloria uirtutis eius, etiam post extremum iudicium, ut clarum est ex uerbis domini Matthæi. uigesimo quinto. Ita ex eadem, cōstat esse ignem quendam temporalem præparatum ijs, qui licet cum pietate dormitionem accipiunt: probatione tamen adhuc & purgatione indigent. Vnde certò liberari contingit repurgatione peracta. De quo igne Paulus primæ ad Corinth. tertio. c. loquitur dicens: Et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem. Si cuius opus manserit (uerè potens uerèque bonum instar auri argenti lapidumque pretiosorum, quæ ab igne non solum non accipiunt corruptionem, sed meliora redduntur) illud mercedem accipiet. Si uero cuiusquam opus arserit instar ligni, fœni, aut stipulæ ueluti non uerè bonum, detrimentum accipiet. Igne enim expurgabitur. Ipse autem saluus fiet sic tamen quasi per ignem. Ipse, inquam, qui fundamentum Christum per fidem uiuam ueramque pietatem in corde retinet. Siquidem aliorum nemo igne illo probationis dignus habebitur. Hunc locum Apostoli Diuus Augustinus tribus aut quatuor in locis interpretatur de igne purgatorio post hanc uitā. Primo in libris de ciuitate Dei, 16. caput. 24. Et 20. cap.

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

26. Deinde admodum expresse in sermone suo 4. de Circa me-  
 commemoratione animarum. Tertio & sanè expres- diu simili-  
 sissime in suis commentarijs super psalmum trèges- ter in Psal-  
 mum septimum. Domine ne in furore tuo arguas me, 103 cõtil. 3.  
 &c. Orans ibidem instanter: Non sim domine inter diu.  
 illos, quibus dicturus es: Ite in ignem aternũ, qui pa-  
 ratus est diabolo, & angelis eius. Neque in ira tua e-  
 mendes me: Sed talem mercedas, cui non sit opus e-  
 mendatorio illo igne, propter eos qui salui erunt: sic  
 tamen quasi per ignem. Quare? nisi quia edificant su-  
 pra fundamentum ligna, scenum, stipulam. Edifica-  
 rent autem aurum, argentum, lapides pretiosos: &  
 de utroque igne securi essent, non solum de illo ater-  
 no, qui in aeternum cruciaturus est impios: sed etiam  
 de illo qui emundabit eos, qui salui erunt per ignem.  
 Et quia dicitur: Saluus erit: sic tamen quasi per ig-  
 nem, contemnitur ille ignis. Ita plane quamuis sal-  
 ui erũt per ignem: grauior tamẽ erit ille ignis, quàm  
 quicquid potest homo pati in hac uita: De Genesi  
 insuper contra Manichæos sic scribit: Qui agrum  
 non coluerit & spinis opprimi permiserit, habet  
 in hac uita maledictiõem terræ suæ in operibus suis,  
 & post hanc uitam habebit uel ignem purgationis,  
 uel pœnam aternam. Eundem locum Pauli similiter  
 intelligant. Diuus Basilius in cap. 9. Esaie tractans  
 illud secundum. 70. Erũt populus ab igne deustus.  
 Quod nostra uersio habet: erit populus esca ignis.

lib. 2. c. 10.  
tom 1.

NON



## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Non inquit omnimodam interemptionē & exterminium comminatur: sed inuit expurgationem iuxta Apostoli sententiam: Quia si cuius opus arserit, durum patietur: Ipse autem saluus erit: sic tamen quasi

Ad 4. e. Esai. per ignem. Et Diuus Hieronymus in commentarijs  
ie & 3. c. suis super Esaiam, de igne purgatorio post hanc uita:  
Marth. sicut & D. Gregorius, expressissimē autē Origines  
In pl. 37. & hom. 12. in Hieremiam inquiēs: An ingredi uis in san  
303. & citat Aug. expo. ct. cum lignis tuis. cum fœno, & stipula ut polluas  
firi. Et 4. regnum Dei? An præpter lignum, fœnam & stipulā  
dialo. c. 39 foris residere & pro auro, argento & lapide pretio  
so nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est.  
Quid igitur sequitur? nisi ut primum propter ligna  
ignis tibi detur qui consumat lignum fœnum & sti  
pulam. Scimus quidem Originem nō benè sentire de  
igne eternæ condemnationis in perpetuum: Attamē  
rectē nobiscum & cum ecclesia Dei sentit esse quen  
dam ignem temporalem probationis & expiationis  
à Deo ordinatum, propter eos qui hereditatem capi  
ent salutis, de quo Paulus, illius iudicio, loquitur pri  
mæ Corinth. 3. Adstipulantur huic loco Apostoli,  
& aliæ scripturæ Esai. quarto a. & Malachie tertio  
a. Quorum illa loquitur de ablatione filiarum Syon,  
hoc est, animarum fidelium in spiritu iudicij, & spi  
ritu ardoris, siue ignis ardentis. Nec agit ibi Prophe  
ta de iudicio extremo, sed de iudicio particulari uni  
uscuiusq; in morte ipsius. Ista uerò Malachie agit  
de

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

de colatione & purgatione filiorum Leui. (.i. sibi si-  
de copulatorum) per herbam fullonum & ignem cō-  
flantem, Quomodo aurum & argentum colari pur-  
gariq̃ue solet: Quem locum tractans Augustinus: Ex Au. li. 29,  
his, inq̃t, q̃ dicta sunt uidetur euidentius apparere in de ciu. Dei  
illo iudicio quasdā qucrūdā purgatorias & cenas fu- cc. 25. Li. 31.  
turas esse. Expres̃e enim docet & cenas purgatorias cap. 16.  
esse usque ad iudiciū extremum: Nō autem post iu-  
diciū extremum. Reprehendens capite decimoter-  
tio. libri uigesimi primū. Platonice docētes uniuersas  
& cenas tam in hoc seculo quā futuro esse purga-  
torias, & non nisi purgationis causa infligi. Constat  
namque ex uerbo Dei, & ante iudiciū esse ignem  
quendam aeternum damnationis, unde nulla est redē-  
ptio, & post iudiciū. Iuxta illud: Discedite à me ma-  
ledicti in ignem aeternum, & cat. Et illud: Abiit hi in  
supplicium aeternum: Iusti autem in uitam aeternam.  
Ex illo insuper Saluatoris. Qui autem dixerit con-  
tra spiritum sanctum, nō remittetur ei neque in hoc  
seculo, neq; in futuro, probant esse purgatoriū post  
hanc uitam tam Augustinus & Gregorius, quā D. log. c. 39.  
Bernardus, à quo & inter hereticos annuncrantur  
obnegatum purgaterium ij, qui se Apostolicos uoca-  
bant.

Architecti dicunt in nono  
articulo.

Chri-

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Per ho 66. Christum instituisse duo Sacramenta Ecclesiæ:  
in cantica. Baptismum scilicet & nocturnam cœnam. Volentes  
docere (ut ex marginali annotatione patet) non nisi  
illa duo esse Sacramenta.

## Respondet veritas.

Li. 3. de doctrina Christi, ca. 6. Grauis calumnia est ista in orthodoxos scriptores ecclesiæ. Augustinus certè loco à uobis allegato, nominat quidem exempli causa duo sacramenta, baptismum & eucharistiam, uerū neque ibi, neq; uspiā dicit, non nisi duo esse sacramenta, aut non nisi tria, uel quatuor esse. Quinimo alio loco asserit, sicut baptismum ita & ordinationem esse sacramentum, & utrumque quadam consecratione dari. Illud quidem cum baptizatur quis. Istud uerò cum ordinatur, atq; ita neutrum posse in ecclesia iterari: Addens per ordinationē dari potestatem consecrandi, ministrandiq; sacramēta: quēadmodum per baptismum ius datur eadem recipiendi. Scribēs insuper contra literas Petilianus, docet chrisma esse inter uisibilia signacula ecclesiæ, sicut Baptismum. Similiter Diuus Ambr. præter sacramenta à uobis allegata docet esse sacramentum confirmationis nominando illud spiritale signaculum. Legite. c. 7: lib. de ijs qui mysterijs inicianur. De quo & Cyprianus sub nomine sacramēti scribit. Insuper Hierony. dialogo contra Luciferanos, meminit suo tempore fuisse consuetudinem Episcopis ex-

circundā

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

currendi ad minores urbes causa imponendi manus baptizatis. Quodque non nisi episcopi id facere solent. Scribit & Melchiades Papa eleganter ac copiose de sacramento confirmationis. Sicuti alij patres, nec non plurima concilia ecclesie. Verum quia non est huius instituti scribere de sacramentis, sufficiat ueluti spongia detersam esse calumniam quam aspersistis Ambrosio & Augustino, & falsitatem noui dogmatis uestri in lucem productam.

Epi. 3. ad episc. Tusciae & Campaniae provinciarum.

Architecti dicunt in eodem articulo.

Baptismum non subtrahimus infantibus, eo quod in fœdere comprehenduntur. Et quia eos baptizauit primitiua ecclesia à temporibus Apostolorum per quatuor primos quadringentos annos.

Respondet veritas.

Aliud est baptismum paruulis non subtrahere, aliud docere eis necessarium esse. Istud autem inter dogmata uestra non suscipitis Pelagianizantes, uti videre est in scriptis uestris. Qui uero orthodoxè docent de baptismo infantum, & eius necessitate, adserunt regulam Christi Ioannis tertio a. Amen Amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. In qua regula sub nomine, quis, comprehenditur, quicumque hominis appellatione censeri debet, ut debet infans auius dici uel horæ: CHRISTO ditente: Iam non Ioan. 16. e. meminit



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

meminit pressuræ (puerpera scilicet) quia natus est  
homo in mundo. Et inuoluit dicta regula necessariā  
consecutionem, uidelicet non posse quempiam cuius-  
cunq; sit ætatis sexus uel conditionis intrare regnū  
celorum nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu san-  
cto, hoc est, baptizatus. Insuper ex traditione Apo-  
stolica quā a ducibus fidei processisse constat. Ori-  
gine dicente: ecclesia ab Apostolis traditionem susce-  
pit, etiam paruulis baptismum dare, Sciebant enim  
illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt diui-  
norum, quia essent in omnibus geminæ sordes pecca-  
torum, quæ per aquā & spiritum sanctum ablui de-  
berent. Et Beato Augustino asserente consuetudinē  
baptizandi non esse credendam nisi Apostolicam, Idē  
uideere est apud Cyprianum, in & copiosē quidem apud  
Augu. in ea quam scribit ad Bonifacium prægnantis  
simis rationibus pro baptismo paruulorum refertā.  
Et in libris quos scripsit de baptismo paruulorum ad  
ad Marcellinum quorum titulus est de peccatorū me-  
ritis & remissione. Traditio autem Apostolica uim  
habet uerbi diuini. Quod autem probatis, paruulorū  
baptismum ex usu uetustissimo ecclesie, etiam pro  
primis quadringentis annis benè facitis. Siquidem id  
nititur inuictō robore asserendæ ueritatis. Verū hæc  
de causa suscipere baptismum paruulorum, & tamē  
nolle suscipere eandem ob causam, eas ceremonias ba-  
ptizandi quæ ab initio fuere in usu, simul cū baptis-  
mo,

In 6 ca. ad  
Romanos

Li. 16. c. 23.  
de genesi  
ad literam  
Epi. 8. lib 3  
ad fidum.  
Epist. 23.

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

mo, etiam pro primis dictis quadringentis annis, videtur esse hominis sine cerebro, qui nihil recipit, nisi quod suo sensu male sano probat. Nam quod olim soleant aquam fontis consecrare ante baptismum docet a Dionysius Arcopagita, b Clemens, c Cyprianus, d Basilius, & e Ambrosius.

a. cap. 2 ecclesiasticæ hierarch. b. Lib. 1. recogn. c. Lib. 1. epistola duodecima. d. De Spiritu sancto, cap. vigesimo septimo. e. Lib. 1. de sacramento cap. 5.

Præterea quod in baptismo soleant abrenunciare diabolo & omnibus pompis eius, prout adhuc fit, docent a Tertullianus, b Origenes, c Chrysostomus, d Ambrosius, e Augustinus, & f Hieronymus: Et habetur in confessione Constantini magni.

a De corona militis. b Homelia duodecima in numeros circa finem. c Homil. 1. in epistola ad Ephes. d Libro primo de sacramento cap. 2.

e De symbolo libro tertio cap. 1. & alibi lib. 1. de peccatis meritis, ca. 19. f Hieron. in sexto capite Amos.

Tertio quod soleant in baptismo exorcizare. docent a Gregorius Nazianzenus, b Chrysostomus, c Ambrosius, d Augustinus, e & Celestinus papa.

a Oratione in 5. lauacrum. b Hom. cui titulus est de Adam & Eva. c. Lib. de sa. c. 5. d De nupti. & concupis. lib. 1. ca. 20. & lib. 2. cap. 18. & 19. e In epist. 2. cap. 12.

F Quarto

## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Quarto quod in baptismo solent o'eo perungi  
et Chrismate, docent a Dionysius, Arcopagita, b Origenes,  
c Cyprianus, d Chrysostomus, e Ambrosius,  
f Hieronymus et g Augustinus,

a cap 2 ecclesiast. hierarch. b in cap. 5. ad  
Rom. c epist. 12. lib 1. d Hom. ad 2 c ad Coll.  
e De sacra. lib 1 cap 2. de ijs qui initiatur ca. 6.  
f. Dialog. cont. Luciferan. g 15 de trin. ca. 15

Quinto quod in baptismo soleant fieri interroga-  
tiones, uidelicet: Abi enuncias, credis, ut baptizari,  
patet ex a 4 Hilario, b Ambrosio, et c Cyrillo.

† a can. 15 in Matth. b De spiritu s. lib 2 ca. 11  
c Lib 12. in Ioan. ca. 64.

Sexto quod soleat uestiri ueste candida docet †  
Ambrosius, et patet ex confessione Constantini ma-  
gni.

† De ijs qui inicianur capite.

Septimo quod soleat fieri litum ex spūto, quo  
tangebatur baptizandi, dicendo: Efficia, quod est, ad  
aperire, docet D. † Ambrosius.

4 Lib 3 de sacram. ca. 2. & lib 1 ca 1.

Denique quod soleant signari signo sancte crucis  
docent a Dionysius, b Chrysostomus, c Augustinus.  
Docet insup. r d Tertulli quod ad omne progressum  
atq; promotū, ad omnem aditū et exitū, Ad uestitū  
et calceatum ad lauacra, ad mensas, et ad limina, ad  
cubilia,

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

subtilia, ad sedilia, & quacumque nos cōuersatio exer-  
cet frōnem signaculo (crucis scilicet) teramus ex  
traditione maiorum, tum temporis, manasse. Multo  
igitur magis signo crucis utendum in pertractandis  
sacramentis ecclesie, quæ ex morte domini in cruce  
uim & efficaciam habent.

a ca. 2. ecclesiast. hierar. b. Ho. 35, in Matth.  
c. Tra. 118. in 10. ho. 181. de tē. d. li. de cor. militis

### Architecti dicunt in 10. articulo.

Quam, scilicet coenam nocturnam (sacramen-  
tum intelligunt eucharistia) ipsemet Christus nomi-  
nat testamentum sanguinis sui, subiungendo: utimur  
in cœna pane et uino, quæ signa sunt: Et quod illis si-  
gnis significatur est communicatio ueri corporis &  
sanguinis Iesu Christi.

### Respondet veritas.

Solent Typographi nonnunquam inuertere sen-  
tentiam auctoris, quod nisi in prima parte articuli  
acciderit, non uideo unde diluant sceleratam menda-  
cū sui, Architecti isti. Nunquam enim sic dixit Chri-  
stus: Hoc est testamentum sanguinis mei. Sed potius  
his uerbis: Hic est sanguis noui testamenti. Et ite-  
rum: Hic calix est nouum testamētum in meo sangui-  
ne, quod scilicet confirmatur. Hinc & Paulus ad He-  
bræos uocat sanguinem testamenti æterni. Ideoque

Matt. 26. c  
Marc. 14. c  
Luc. 22. b  
1. Cor. 11. f  
Heb. 10. c.  
& 13. d



## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

scienter sic deprauare scripturā, & affingere falsum auctori salutis, quā sit perniciosum unusquisque facile secum perpendit. Est enim agnitæ ueritatis uolūtaria deprauatio.

Quantum uerò ad secundam partem articuli uel strīcti attinet, utiq; coena uestra nocturna, manet substantia panis & uini, nec in illis est ulla coelitus instituta significatio. Quia quæ uos existimatis, profana sunt, conficta & ementita signa, nullam affinitatem habentia cum institutione dominica. Quoniam qui benedixit est minister Laicus, nullam omnino ad auctoritatem habens à Christo. Ceterum in uero Sacramento Eucharistiæ quod ecclesia à Christo accepit, non manent panis & uinum, sed conuertuntur in carnem & sanguinem domini. Vt infra demonstrabitur. Neque per id quod datur & accipitur in sacramento fit significatio, sed ueritatis exhibitio. Alioquin nulla foret differentia inter typicum pascha legis, et nostrum uerum pascha Euāgelij: Item inter oblationem Christi. Neutrobique enim offerretur aliud, quā naturalis panis & uinū cum significatione. Cum tamen Christi oblatio debeat figuratiuæ illius esse adimplētio, uti fuit, ipso asseuerante: Pater meus dat uobis panem de celo uerum: panis enim uerus est qui de celo descendit, & dat uitam mundo. Ego sum panis uiuus qui de celo descendi. Rursus, ego sum panis uitæ. Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum.

Quibus

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Quibus subiungit: Panis quē ego dabo, caro mea est pro mundi uita. Non, inquit, figurat carnem meam: sed caro mea est. Neque nos benedicimus panem & uinum in tremendis mysterijs ut significetur per ea communio corporis Christi in cælo existentis: Sed ut reuera exhibeantur eius corpus & sanguis in spiritalē escam, ac potum animæ, post oblatiōem Deo factam, & à sumentibus reuera participetur, quem admodum Paulus inquit: Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? Obserua quod dicit. Participatio. Et, calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Quæ obsecro hic figuræ aut signi mentio? Quæ non rei præsentis & ueraciter exhibitæ declaratio? His accedit quod tres Euangelistæ: Matthæus, Marcus, Lucas, & Apostolus Paulus concorditer describunt Christum clario sermone dixisse: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum, Nempe quod ego porrigo, & uos comeditis, est corpus meū, Et omnino idē corpus meū quod pro uobis datur, & mox pro uobis tradetur: Nō panis, nō aliud, sed uerū ac natiuū corpus meum. Nam si aliud esset, quā corpus Christi, falsa foret enūciatio qua loquitur hoc loco Christus æquē propriè atq; pater, cū dicit de cælo: Hic est filius meus dī

1. Cor. 10.

Matt. 26. e

Marc. 14. e

Luc. 22. b

1. Cor. 11. e

Match. 3. d

& 17. a

# SVCCINTA DEMONSTRATIO

aut ipsius rei contradictione conuincitur. Quæ autem  
tem Paulus subiungit ad Corinthios. 11. g. priori episto-  
la, omnino locutionis proprietatem testantur. Di-  
cit enim: Qui manducat & bibit indignè, iudicium  
sibi manducat & bibit. An uspiam hoc dicitur de  
manducantibus manna, aut panes propositionis,  
aut agnum paschalem, res typicas? Plus igitur hic  
manducatur, nempe ueritas corporis Christi, nõ figu-  
ra eius. Aliæ quoq; scripturæ, Ioan. 6: Panis quẽ ego  
dabo, caro mea est. Item caro mea uerè est cibus: simi-

Iudiciũ Hi- liter testantur Christũ seruasse locutionis propieta-  
larij. tẽ. Itaq; de ueritate carnis & sanguinis in sacramẽto  
non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipse

Iudicium Antequam consecretur panis est: ubi autẽ uerba Chri-  
Ambrosij. sti accefferint corpus est Christi. Ante uerba Chri-  
sti, calix est uini & aquæ plenus, ubi uerba Christi

Li 4 de Sa- operata fuerint, sanguis efficitur, qui plebẽ redemit.

eram. c. 5. Sic Ambrosius docet. Panis denique & calicis sacra-

Iudicium mentum iam in Euangelio probauimus, corporis &

Tertul. sanguinis dominici esse ueritatem. Sic enim loqui-

Li 4. cõtra tur Tertullianus aduersus phantasma Marcionis

Marcionẽ, Quapropter fugiant omnes à phantasmatibus Calui-

Ioan. 6. ni, nisi uelint inter Capharnaitas desertores Chri-

sti an-



# ERRORVM CONFES. CALVIN.

si annueneri.

Quod autem in eodem articulo; & quoties usa  
 venit non natis sanctis in eucharistie sacramen-  
 tum coenam nostram, alienum est à scriptura sacra  
 & recens ab hereticis confectum: cum in coena nec in Ioan. 13. 9  
 institutum sit, nec distributum. Dicit dominus iohannes: Et  
 coena facta, & et. cepit lauare pedes discipulorum  
 & exte gere linteo quo erat praecinctus. Eo facto  
 docens etiam affectiones, quibus mens, horsum illor-  
 sumq; discurre, trepurgandas esse ante esum tanti sacra-  
 menti, quod parabat instituere. Atque exinde insti-  
 tuit, Prout Lucas & Paulus insinuant dicentes: Si Luc. 22.  
 militer & calicem postquam coenauit dicens: Hic ca- 1. Cor. 11. e f  
 lix, & et. clausula illa: Postquam coenauit ad inte-  
 gram institutionem Sacramenti relata. Non enim in-  
 stituit, ac distribuit panem mysticum in coena: cali-  
 cem uero post coenam. Illud uero Matthaei ac Marci: Matt. 26. e  
 Coenauit autem illis, & manducantibus, habet Marc. 14. e  
 suam rationem ueritatis, ex eo, quia mensa nondum  
 remota erat, & imarebat instructa mappa, pane &  
 zymo, uino, & luminaribus. sicut altari nostra adhuc  
 instructa cernuntur, quodque parum distat, nihil di-  
 stare uidetur. Atque hinc antiquitus appellatur à po-  
 pulo pie credentium: Mensa dominica, ualde con-  
 formiter uerbis Christi dicentis: Et ego dispono uo- Luc. 22. e  
 bis: sicut disposuit mihi pater meus regnū: ut edatis  
 & bibatis super mensam meam in regno meo. Deinde



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

1. Cor. 10. c. & uerbis Pauli. Non potestis mensæ domini partici-  
 pes esse, & mensæ demoniorum. Verbis denique Pro-  
 pheta: parasti in conspectu meo mensam. Et profecto  
 bonum, ne dicam necessarium foret, quod nec cœna  
 dominica uocaretur etiam si quidem patres sic suo tē-  
 pore ex causa nominarint. Scriptura enim non cogit  
 ad eiusmodi appellationem, & malus sub illa dolus  
 struitur ecclesiæ Dei, contendentibus ex eo multis,  
 non oportere conuenire ad esum huius Sacramenti,  
 nisi uel in cœna, uel à cœna. Rursum oportere utrum-  
 que sumere panem scilicet, ac calicem: Quia utriusq;  
 usus in cœnis esse solet. Qualia expedit præcauere,  
 2. Cor. 11. d. eiusmodi appellatione abolita, ut ante hæreses nostri  
 temporis abolita fuit. Vbi autem Paulus uidetur hu-  
 ius sacramenti usum cœnam dominicam appellare, ibi  
 loquitur negatiuè, & cū obiurgatione Corinthio-  
 rum super temeritatibus suis, Nam Apostoli, quan-  
 tum in se erat, non patiebantur id fieri inter cœnan-  
 dum, aut à cœna tempore diuinis pertractandis mi-  
 nimè apto. Quod nec Paulum latuit: licet multa &  
 ipsi & alijs tolleranda forent in prima plātatione ec-  
 clesiæ. Vnde etiam claudens caput 11. Epistolæ suæ  
 prioris ad Corinthios sic dicit: Itaque fratres cū con-  
 uenitis ad manducandum, ad manducandum inquit,  
 non autem ad cœnandum addens: Cætera autem cum  
 uenero disponam, pertinentia scilicet ad legitimum  
 usum huius sacramenti iuxta primæuam eius institu-  
 tionem

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

tionem. Non enim conueniebat noua mysteria, nouæ Cap. 27. de  
nascentisq; ecclesiæ palam scriptis prodere, atque ita spû & lito-  
infidelium hominum sannis, ac dentibus subiicere. ra. ca. 1. ec-  
Quemadmodum pulcherrimè declarant D. Basilius, clesia. hic  
ante cum Dionysius Areopagita. rarchiz.

## Architecti dicunt in vndecimo articulo.

Calicem domini laicis iniuste subtrahi: eo quod hoc sit contra institutionem, & uerba Christi.

### Respondet veritas.

Christus instituens hoc sanctissimum sacramentum, distribuit illud Apostolis sub specie panis tantum, cum adhuc laici essent, non porrigendo eis calicem nisi postquam illos ordinasset sacerdotes his uerbis: Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. b  
haud obscure significans panem sanctum, dādum laicis: calicem uerò, reseruandum sacerdotibus. Quo autem modo, postea, eius rationem dabimus. Hanc institutionem usus immediatè subsequens comprobauit tam Christo quam Apostolis distribuentibus panem benedictum laicis sine calice. Luc. ult. Actorum 2. g  
& 20. e. Et cœpit mox inter Apostolos eiusmodi distributio sacramenti, sub specie panis tantum appellari fractio panis: Distribuire uerò, frangere panem, prout, ex eisdem locis ostenditur, Nam Luca ultimo dicitur: Et quomodo cognouerunt cum in fractione

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

panis, hoc est in porrectione sacramenti, sub specie  
panis benedicti. Siquidem Christus eisdem penè uer-  
bis utitur ibi, quibus usus fuerat in ipsa sacramen-  
ti institutione. Deinde quia Ioannes Rossensis

**Actor. 16.**

**a Ho. 17. in**  
**opere im-**  
**perfecto in**

**Matth. b**

**De cōsens.**

**euā. c. 25. li.**

**g c In 24**

**c. Lucæ.**

**Actor. 2. g**

martyr Dei, in scripturis sacris oculatissimus, in el-  
ligit locum illum de Sacramento corporis domini  
probens id ipsum ex a Chryso to. b Augu & Theo-  
phylasto, alijsq; modis. Deinde ex illo Actorum. Erāt  
autem perseverantes in doctrina Apostolorum &  
communicatione, fructio re panis, & orationibus.

Et paulò inferius: Quotidie quoque perdurātes una-  
nimitè in templo, & frangentes circa domos panē,  
sumebant cibum cum exultatione. Primum quidem  
occupati in deuotione, deinde in sumptione panis sa-  
cristultimo uerò sumebant communem cibum cū ex-  
ultatione. Eodem modo sicut adhuc per omne orbē  
Christianū obseruatur. Quod autē tū frangebant siue  
distribuēbant sacramentum panis circa domos, uel  
in domibus, est, quia in templo iudeorum necdum  
licebat, & domus una minor erat, quàm quæ cape-  
ret tantam multitudinem credentium, nempe qua-  
tuor millium & ultra. Et tamen neque hic neq; alibi,  
ubi est sermo de fractione panis, ulli sit mentio ca-  
licis. Ita ut constet ex institutione, simul ac prime-  
uo usu mox subsecuto, calicē nō deberi laicis. Nūc de  
uerbis Christi quo ad calicem: Et accipiens, inquit  
Matthæus, calicem gratis egit, & dedit illis dicens:

**Matth. 26. c**

Bibite

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Bibite ex eo omnes. Sermo iste in secunda persona dirigatur ad praesentes, in quibus inchoabatur sacerdotium. Non facit igitur uox: omnis, distributio nem nisi pro illis, at quos fiebat sermo. Ut tibi: Omnes uos scandalū patiemini in me in nocte ista. Nō enim improprie hoc Christus nisi eis, quibus loquebatur. Sint igitur uerba dicta Christi: sicuti sunt, ordinantis & potestatem dantis super calice consecrando, & sumendo. Non tamen extendunt se nisi ad praesentes, in quibus sacerdotium inchoabatur, & ita uirtualiter ad eorum quoque successores. At dices; Similiter dictum est in secunda persona ad solos Apostolos praesentes: Accipite, & manducate, utique sic est. Verum mox illic subiicitur: Hoc facite in meam commemorationem. Ecce ordinationem domini ut hoc faciant quod fecerat ipse, nempe acciperent panem, consecrarent, & distribuere laicis, sicut ipsis laicis distributus fuerat. Quod post calicem nō subiecit. Dices fortassis: Imō. Quia apud Paulum legitur: Matt. 26. 8  
1. Cor. 11. 8  
Hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Caterum uerba illa inuoluunt conditionem, nempe: Quotiescunque bibetis, fiet hoc, scilicet consecratio, & sumptio in meā cōmemorationē. Indubiē enim Christus cōsecrauerat calicē, priusq̃ porrigeret. Atq; sic etiā calix pertinere propriē uidetur ad sacri officij mysteriū peragētes. Nihilominus quia nō sit expressa prohibitio calicis quo ad laicos cōpēt

etiam



## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

etiam tempore Apostolorum, ac postea multis in locis calix porrigi omnib. indiscriminatim. Apud quosdam ex singulari deuotione ad sanguinē Christi profusum, apud alios potissimum tempore martyrij ut hausto sanguine domini animatiores fierent ad fundendum etiam suum, religionis asserēda causa. Apud alios ex contentione asserētium calicem domini pertinere ad omnes. Apostolis hæc tollerātibus propter melius. Vnde et Paulus ad Corinth. subiungit: Quotiescūq; enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis &c. Quotiescūque inquit, siue in Missa, siue extra Missam. Dictis autem causis cessantibus redijt sponte propria, usus sacramenti ad primæuam suam institutionem. Sicq; obseruatus est catholicè multis centenariis annis, donec Bohemi ante annos centum, et Lutherani temporibus nostris, obstinate contendere debere omnes utramque speciem sumere. Et illorum quidem occasione Concilium Constantiense: horum uerò Concilium Tridentinum, sub anathematis pœna prohibuit: ne quis ultra sic dogmatizaret, aut contentiosè faceret, quasi calix iure diuino omnibus esset necessarius. Certum itaque habet, ecclesiam catholicā nihil subtrahere laicis. Sed inherēdo tām institutioni, et uerbis Christi, quā usui immediatè subsequuto, distribuit laicis, et uniuersis de celero nō consecrātibus tantūmodo panē sacrum. Solis sacerdotibus sub sacro personam Christi agentibus utranq; speciē sumenti

Sessio. 13.

Ses. 21. cā. 1.

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

sumentibus: sicut utramque obtulerunt. Nec istud di-  
 spendio fit cuiusquam. Quia quantum isti, tantum il-  
 li accipiunt. Tantum enim sub una, quātum sub utra-  
 que specie sumitur. Tantum insuper est sub qualibet  
 parte: quantum sub toto tegitur. Quia Christus ubi-  
 cumque est: ibi totus est: iam enim nō moritur, mors  
 illi ultra non dominabitur. Nō crucifigitur amplius,  
 neque diuiditur sanguis eius, aut diuinitas à corpore  
 ipsius. Dices fortassis. Itaq; celebrans bis sumit Chri-  
 stum. uerum est. Sed sub diuersa specie & in persona  
 Christi. Idque propter plenam representationē eius,  
 quod circa mortem gerebatur Christi. Qui ut obtulit  
 sanguinem separatū à carne: ita & sanguinem suū  
 cum carne, mox post oblationem reassumpsit resur-  
 gendo. Nec uocula illa qua Paulus utitur: Annuncia-  
 bitis, otiosa est. Innuit enim ad eos pertinere calicē,  
 quorum est annunciare alijs, quæ Christus gessit, pas-  
 sus est, ac docuit in terris. Quod est propriè sacerdo-  
 tum. Si quis autem in contrarium adferat: fuisse ab ini-  
 tio usum in ecclesia utriusque speciei apud omnes. Illi  
 respondendum est (præter ea quæ dicta sunt) semper  
 simul fuisse usum alterius speciei tantum. Vti testatū  
 reliquerunt in suis scriptis Diuus Ambrosius de obi-  
 tu fratris Satyri, qui ab initiatis fidelium sacramen-  
 tum poposcit, & in orario ad collum ligari fecit im-  
 minente naufragij periculo. In quo orario sanguinē  
 ligare non potuit. Igitur solum panem sanctum secū  
 habuit,

Roma. 6.b

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

- Euf. li. 6. ec** habuit, ne uacuus mysterij exiret è uita, Et historia  
**clefi, hist.** Ecclesiastica refert, quod sacerdos miserit panem san-  
**34.** ctum. sine calice ad quendam moriturum, nomine Se-  
 rapionem. Cyprianus insuper sermone 5. de lapsis,  
 corpus domini, manibus domum portatum dicit, at-  
 que in arca repositum. Dabatur enim tunc domum fe-  
 rendæ Eucharistia: utique sub specie panis tantum. Et  
**Beda in** (ut refert Beda) legitur Tarsitius Martyr, corpus do-  
**fuo marty** uini ferens. cum à Paganis comprehensus requirere-  
**rologio ad** tur quid ferret, & sanctum canibus dare nollet: Mar-  
**15. diem au** tyrium obtinuisse. Constat etiam ex facto Leonis  
**gusti. Leo** Pontificis eius nominis primi, qui cum præcipere  
**ier. 4. de** ne Sacramentum ultra administraretur laicis sub spe-  
**quadrag.** cie panis tantum: sed sub utraque, ijs in locis, ubi ui-  
 gebat hæresis Manichæorum asserentium Christū as-  
 sumpsisse corpus phantasticum, sine sanguine &  
 uinum sel esse principis demoniorum. Et id eius hæ-  
 resis tollendæ causa. Satis inquam constat tum utri-  
**Ioan. 6. f.** que fuisse in usu communionem sub altera specie tan-  
 tum. Alioqui tali præceptione non fuisset opus. Ob-  
 iicientibus autem illud iohannis: Qui manducat mea-  
 am carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet,  
**Ioan. 6. f** & ego in eo, opponendum est, & illud iohannis: Hic  
 est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso man-  
 ducauerit, non moriatur. Rursum: Qui manducat  
**Ibidem.** hunc panem, uiuet in æternum. Potest itaque pariter  
 scori

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

seorsim sumptus tantum, quantum prestat utrumque simul. Nec Christus eo capite docet aliud, quam necessitatem corporis & sanguinis sui, & admirabiles fructus, si sumantur, inde provenientes, nulla facta mentione, qua specie sumi debeant. imò si de speciebus quaestio est: assidue ibi fit panis mentio, & nulla omnino uini aut calicis. Ex quibus praemissis satis liquet, & ea quae sequuntur in eodem articulo confessionis, falsa esse. Nec momentum ullum habet quod in fine addunt. Dum enim Sectarij sectarijs, nempe Calvinistae Gracis (qui tamen & ipsi in suis distribuit sub altera specie tantum, scilicet panis) se defendere nituntur, dogmatis sui inepiam produnt.

### Architecti dicunt in duodecimo articulo.

Relinquimus nos omnem suum intellectum, coenae aeternae petissimum, quod anno 800 dictum est à Papa Hildebrando, & Anno 1202. à Papa Innocentio, de transsubstantiatione.

### Respondet veritas.

A varijs sanctis Patribus, etiam sub ipsis primis quodringentis annis fuit palam & clarè, ueraciterque dictum, de eo: quod uoce transsubstantiationis significatur. Si non sub eadem, sub similibus tamen uocibus. Vt est legere apud Chrysostomum, & Ambrosium;



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Ho. 83, in Matth. 2. Hom. de proditiōe Iudæ. Li. 4. de Sac. ca. 4. & .  
 brosum; Nos inquit Chrysostomus ministrorum ordinem tenemus. 2 Transmutat ea Christus dum sacerdotis ore hæc uerba proferuntur: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Ambrosius uero sic habet: Panis iste, panis est ante uerba sacramentorum: ubi accessit consecratio de pane, fit caro Christi. Quomodo aut potest, quod panis est uel fuit, esse corpus Christi: Cōsecratione, inquit, quæ fit sermone Christi. Idē & expressius Hilarius libro 8. de Trinitate, ut supra allegatum est. Gregorius insuper Nyssenus, & abbreviator Chrysostomi, Theophilact. idipsum dicūt sub nomine: transmutatur. Theophilactus quidem in Ioannem sic habet: Panis quem ego dabo, caro mea est. Non dixit. Figura est carnis meæ, sed caro mea est. Transmutatur enim arcanis uerbis per mysticam benedictionē, et spiritus sancti accessionem in carnē domini. Idē docet in 14. caput Marci sub uoce: Transclementantur. Idem & Hieronymus in Marcum sub uoce: Transfiguratur. Idem insuper Cyprianus sub uoce: Mutatur. Concilium quoque Florentinum sub uoce: Conuertitur. Et quid obsecro his uocibus aliud significatur quam uoce: Transsubstantiatur: Quia uisus est Concilium Lateranen. sub Innocentio 3. Et nunc deedique Concilium Tridentinum, canone 2. sessionis 13. Omnes inducti ex uerbis Christi.

Si enim manet natura panis, & non transmutetur, aut transsubstantietur in corpus Christi, falsa est

enim

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

enunciatio qua dicit: Hoc est corpus meum: Non enim est corpus Christi, sed panis. Si uero asseratur corpus Christi ibi esse, sed mixtum cum pane aut sub pane (ut magis ineptè finxit Lutherus) eadem est falsitas. Non enim tum quod datur & accipitur corpus Christi est, sed mixtum quid ex utroque, fuissetque dicendum per aduerbium: Hic est, siue: Sub hoc, siue, Cum hoc est corpus meum. Si denique in dicta enunciatione uerbum, Est, accipiat pro Significat. (Vt quidam malè excogitauerunt) iam non propria, sed figurata est locutio quam supra exclusimus. Vt auctorem, ij qui paruo sunt ingenio, & statim obijciunt facti impossibilitatem, aliqua rerū similitudine ex uerbo Dei inuentur: Scripturæ sacræ apertè testatur, Ioan. 2. b  
Exod. 7. quam fuisse conuersam in uinum per Christum. Alibi fuisse conuersam in sanguinem per Moysen, & rursum sanguinem in aquam, uirgam insuper ligneam Aaronis in uinum serpentem, ac rursus serpentem uiuum in aridum lignū. (Alia similia prætermitto breuitatis causa.) Hoc quoque tum contigisse, ut rebus mutatis, nomina tamen consueua permanerent. Dicitur enim uirga Aaronis deuorasse uirgas sapientum Aegypti, non utique cum uirga erat: sed cum serpens uiuus facta fuisset. Quapropter nec mirum uideri debet, si eucharistia retineat usitatum nomē: panis, etiā post conuersionem: cum iam nō sit panis, sed corpus homini. Fit enim hoc primo, quia panis fuerat. Secundo qui

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Quia quia speciem panis retinet. Tertio quia nutrit spiritum hominis haud secus atque panis usualis substantiam corporis.

Architecti dicunt in decimo-  
tertio articulo.

Nos estimamus pro horrenda idololatria esse  
etiam illam Dei circumlationem, loquentes de uenerabili  
sacramento eucharistie.

Respondet veritas.

Matth. 3 d Deus pater loquitur de caelo: Hic est filius meus  
& 17 a dilectus, ipsum audite, Non addendo, ipsum adorete.  
Matth. 2, b Nihilominus magi ex oriente uenientes religiosè  
adorauerunt puerum Iesum, nihil uidentes, quàm  
Ioan. 9. g speciem infantuli recens nati & cæcus à natiuitate  
procidens adorauit eum, à quo curatus fuerat, ubi au-  
disset filium Dei esse: Quamquam non nisi speciem  
Matt. 14. d hominis uideret. Apostoli quoque in nauì uidentes  
eum, adorauerunt dicentes: uere filius Dei es. Rur-  
sum adorantes (indubiè dominum humana forma as-  
cendètem) egressi sunt in Hierusalem. Sed & Paulus  
Heb. 1. b ex Psalmis infert: Et cum iterum introducit primo-  
Psal. 76 b genitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes  
angeli eius: In habitu scilicet hominis conuersantem.  
Hanc ob causam etiam tantummodo scriptum sit:  
Accipite, & manducate, Non autem: Adorate,  
recludite, circumferte: Tamen firmissimè credentes  
sub



# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Sub forma & specie panis consecrati reuera ac corporali praesentia contineri ipsum Christum Deum ac saluatorem nostrum, uenerabundi procumbimus adorantes cum qua possumus deuotione, sicuti praenarrati in alia eum forma adorauerunt. D. Augustin. & Ioannes Damascenus docent primario, quidem Latraria colendum solum Deum: Secundario uero omnia illi unita hypostatica, uel naturali coniunctione: ut caro Christi, & sanguis eius caput, manus pedes eius. Nec impedit de terra ista originaliter assumpta esse: Quia terra scabellum pedum Dei est. Dicit autem Psal. Adorate scabellum pedum eius. Vide Augustinum in eundem Psalmum. Credimus autem in Sacramento Eucharistiae esse: Non utique carnem Christi seorsum sub pane, & sanguinem seorsum sub uino: (ut Lutherani quidam in Polonia cofinxerunt) sed utrobiq; esse totum Christum, qui regnat nunc, in caelis, & crucifixus fuit in terris. Adhuc reseruamus hostias sacras eandem ob causam in thecis aureis, aut argenteis quam fieri potest honorificentissime tam ad usum fidelium, quam in uenerationem, ob memoriam eius, quod pro nobis fecit. Quemadmodum olim reseruabant manna in urna aurea reposita in arca omni ex parte tecta auro, ad perpetuam memoriam eius, quod passi fuissent 40 annis eiusmodi cibo caelesti in cremo. Circumferimus denique aliquando honorifica processione redeuntes ad chorum unde exiueramus circulo deuotionis per-

Li. 10. de ciuit. dei c. 11  
4. de orth. fid. ca. 3.

Psal. 98. 2

Heb. 9. 4



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

**Psal. 118. a** dicto, in canticis, & laudibus. Qua cæremonia confitemur illius à summo cælo egressionem & occursum eius ad summum eius, redemptionis nostræ mysterio adimpleto. Et quid fidei nostræ cõformius quam palam & crebro cõfiteri opera domini, potissimum singularia illa misericordiæ eius. Iuxta psalmũ David. Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in secula misericordia eius. Olim magna admodum ueneratione circumduxerunt arcam Dei circũ Hiericho, & corruerunt muri eius. Iterum uenerabunda processione deduxerunt de domo Oled, Edom in mōtem Syon, Davide rege nudo humillimè psallente, & ciathara ante arcam ludente. Et nonnunquam eduxerũt illam ad loca prælij urgente necessitate: Quod sentirent Deum propitium fieri ad illius præsentia. Quãto igitur nos magis omni deuotione debemus circumferre corpus domini Saluatoris nostri uenerabundè, opitulationis obtinendæ causa. Et quis unquam non adorauit ac summè ueneratus est, quod Deum suum credidit: Sicut firmisimè credimus de sacramento eucharistiæ, cuius carne pascimur secũdum interiorem hominem, cuius sanguine saluamur, cuius iudicio aut reijciemur aut recipiemur in æternum. Vos certè panem uestrum significatiuum nõ potestis adorare magis, quam adorabatur olim manna, aut agnus paschalis, aut panis propositionis. Quæ & ipsa significatiua erant Christi sicut panis uester. Vt cum maximè

euangeli

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

euangelici haberi uelitis, prorsus legales facti inueniamini. Quod autem in eodem articulo dicitis de idolo: Maozim, cuius sit mentio Danielis 11. est notoria deprauatio scripturæ sanctæ contra agnitam à uobis ueritatem. Transeat igitur ad familiam earum blasphemiarum, quæ nec in hoc sæculo remittentur, nec in futuro.

Architecti dicunt in decimo-quarto articulo.

Coniugium liberum esse omnibus hominibus: atque à Paulo permissum Episcopis & pastoribus.

Respondet veritas.

Haud quaquam coniugium unquam fuit liberum ijs, qui habent quod cum fœdere nuptiali stare non possunt, siue ex natura habeant: ut habent pueri execti, & similes irreuerabili impotentialaborantes: quod neque effectus, neque finis coniugij subsequi possit: siue ex fœdere connubiali præuio, quod prima institutio coniugij subsequens reformatio non ferant nisi unius cum una coniunctionem: quantumuis etiam aliter coniugium aliorum ardeat libidine: siue ex uoto perpetuæ uirginitatis, aut uiduitatis solenniter facto, quales postea nubentes, dicit Apostolus suam habere damnationem: quia primam fidem (nempe uoti) irritam fecerunt: siue ex ordine sacerdotij liberè suscepto, quod in ueteri lege non quidem prorsus, sed

Genes. 2. d

Matt. 19. 2

1. Tim. 5. b

# SVCCINTA DEMONSTRATIO

Leuit. 21. c aliquousque foedera & commercia matrimonij ex-  
 Ezec. 44. f cludebat: Ne scilicet summus sacerdos duceret uxore-  
 rem nisi uirginem, non uiduam, non repudiatā, non  
 +Beda in 1 sordidam, aut meretricem, Deo cœlitus sic ordināte:  
 c. lucæ. Idē Nec usum haberent coniugij reliqui sacerdotes + tē-  
 & Am. inc. pore ministerij sui. In noua uerò lege prorsus exclu-  
 3. ep prio- dit martialem statum post sacerdotium ineundum a  
 ris ad Tim. cō quòd lex noua purior sit, perfectiorque ueteri.  
 a Amb. ibi dem. Si quidem Melchisedech noster Christus sempiternum  
 habens sacerdotium & ipse mansit sine coniugio. Vt Paulus & Ioannes teste Ambrosio. Aut sine  
 1. Cor. 7. a usu eius, ut reliqui. Dicit enim Paulus: Volo uos omnes  
 esse sicut me ipsum, nempe cœlibes, Nec reperitur  
 in ullis fidei historijs Apost., post Apostolatū susceptum,  
 aut generasse, aut usos fuisse commercijs matrimonij. Si enim ijs qui typica sacrificia pertractabant  
 1. Reg. 21. b abstinendum erat à proprijs uxoribus tempore  
 1. Cor. 7. a ministerij sui. Si præterea panes propositionis non  
 permittebantur nisi eis qui mundi erant à mulieribus.  
 Tertio si iuxta Apostolum cessandum est, ab  
 amplexibus, quando uacare oportet orationibus; Merito  
 sacerdotibus interdicens erat matrimonium: eò quod illorum sit offerre omnium sacrificiorū  
 plenitudinem & sanctitatem, ipsum Christum, Et sumere  
 panem impollutū sacrosanctæ eucharistie: Præ  
 Canon. 27 cib. insuper, & obsecrationib. insistere omni die. In  
 canonib. Apost. præscriptū legitur his qui sacros ordines



# ERRORVM CONFES. CALVIN.

dines suscipiunt ne ad connubia exinde recipiantur.  
 Id quoq; in cōcilio Niceno i. ordinatum intelligitur. *L. 2. c. 13. et*  
*Vt est rep̄re in histor Tripartita & apud Suidā Socrate.*  
*historiographum.* Nusq; a iē ecclesia catholica pro-  
 hibet nubere aut matrimonia inire: sed nō patitur si-  
 ent pati potest: ut ij qui se castrarunt propter regnū  
 celorū p̄ uotū a t̄ sacerdotiū, postea uelut ex eminē-  
 ti gradu, dimittant se in seruitutem uxoris, ac proli-  
 um, ad commercia carnalia seculariaq; negotiā, cū in-  
 iuria eius, cui se ante obstrinxerant. Ille inquit D. Au-  
 gu. prohibet nubere qui hoc malum esse dicit. Nō q̄  
 huic bono aliud melius anteponit. Dicite mihi si pla-  
 cet. An frustra posuerit Christus trimembrē illā di-  
 stinctionē? sunt Eunuchi qui de matris utero sic nati  
 sunt, & sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus:  
 & sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum  
 celorum, subiungendo: Qui potest capere capiat.  
 Si uerò nō frustra, uti certū est, Ergo sunt, non solum  
 qui abstinent quamdiu placet à contrahendo. Sed &  
 qui se ad contrahendū nuptias penitus impotētes red-  
 dūt, per id utiq; quod licet, uotū scilicet & sacrū or-  
 dinē, impotentes in quā reddūt, nō natura uel ui illa-  
 ta, ut aliq, sed iuris necessitate. luxa regulā: id possu-  
 mus quod iure possumus. Id uerò nō possumus quod  
 iure non possumus. Dum igitur contenditis neq; uo-  
 ta, neque sacros ordines excludere à connubio. Ipsi  
 uos tertium membrum huius sancte doctrinae Chri-

Lib. 30. c. 6.  
 tra Faust.  
 ca. sextū.

Matt. 19. h



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

ſi excluditis à uobis, & ueluti inutile abijciendum docetis. Quod ſponſa Chriſti haudquaquam facit, non quod cuiquam matrimonij libertatem adimit: Sed quod illi qui tertio membro doctrine Chriſti ſe ſpontancè ſubdiderunt, ipſi ſibi adimant ſcientes & uolentes caſtrando ſe propter regnum Dei. Eſt autē

De reg. iu.  
ris in 6.  
1. Tim. 3. a

regula iuris per celebriſ: Scienti & uolenti non fit iniuria. Illud autem Pauli quo dicit: Oportet epiſcopū irreprehenſibilem eſſe unius uxoris uirum, minimè ſuffragatur inſtituto ueſtro. Quia neceſſario intelligendum eſt de eo, qui non eſt uel fuerit plurium uxorū maritus. Non autem quod debeat præſul habere uxorem. Nam ipſemet Paulus non habuit uxorem, neque Ioannes euangelista teſtibus Ambroſio & Hieronymo. Adhæc Paulus per ſeipſum ordinauit diſcipulos ſuos ad Titum, ad Timotheum epiſcopos: qui tamen nec ante ordinationem, nec poſtea unquā fuerunt coniugati. Quis igitur ratione docuiſſet epiſcopum debere uxoratum eſſe? At uoluit pro neceſſitate eccleſiæ tum temporis poſſe aſſumi ad præſulatum uirum bonum, modo quo ibi deſcribit qualificatum, etiamſi coniugatus fuerit, dummodo unius ſit uxoris, non autem plurium ſimul, aut ſucceſſiue: Nam qui cum plurimis laſciuia carnis uiuit aut uixit: Quomodo continentie ſpeculum, aut doctor eſſe poterit?

a. l. de Moſ  
nogamia.

Hoc pacto dictum locum interpretata eſt ueneranda penè omnium patrum antiquitas: a Tertullianus, b

Epiſ

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Epiphanius<sup>c</sup> Ambrosius<sup>d</sup> Hieronymus<sup>e</sup> Augustin<sup>f</sup>. <sup>b</sup> Cōtra ca-  
† Epipha. quidem in fine suæ sententiæ adiiciente ui- <sup>theroe. c. l.</sup>  
delicet propter excellentiam honoris, & sacerdotij. <sup>l. offic. c. vl</sup>  
Atque hæc sancta Dei ecclesia summa cum diligētia <sup>timo & ep.</sup>  
inconcussè obseruat. Ad porro quod habet Apostolus. <sup>82. Verselle</sup>  
† Propter fornicationem autem unusquisq; suā uxo- <sup>tes In ep.</sup>  
rem habeat. Non præcipientis est coniugium ineun- <sup>ad Oceanū</sup>  
dum. Contradicunt enim apertè, & quod præcedit: <sup>In c. l. epis.</sup>  
Nempe bonum est homini mulierem non tangere, et <sup>ad Ti. c. De</sup>  
quæ sequuntur, ualide Pauli adhortationes ad celiba- <sup>bono con-</sup>  
tum & uirginitatem. Nec permittentis ut à quocun- <sup>iugij. ca. 18.</sup>  
que coniugium ineatur. Dicit enim de uiduis eccle- <sup>† Cōtra ca-</sup>  
siae: habentes damnationem quod primam fidem irri- <sup>tharos hæ</sup>  
tam fecerunt. Est igitur sententia eius, ut unusquisq; <sup>resi 59.</sup>  
iam coniugatus habeat suam uxorem ad usum matri- <sup>1. Co. 17. a</sup>  
monij proprium fornicationis uitandæ causæ; id ta-  
men citra præiudicium orationū ut ibidem sequitur.  
Denique detestabile mendacium est, quod asseuera-  
tis, prorsus omnes ueteris testamenti sanctos fuisse  
coniugatos, maiorem etiam partem sanctorum noui  
testamenti. Quandoquidem in ueteri lege, & ante  
eam uirgo fuit Abel in scripturis singulariter com-  
mendatus. Virgo Melchisedech sacerdos Dei altissi-  
mi. Virgo Helias. Virgo Helizæus. Virgo Hieremias.  
Virgo Daniel & filij Prophetarum: ut referunt Igna-  
tius Martyr, & D. Hieronymus ille in epistola sua  
ad Philadenphien. iste agens contra Heluidium &

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Iouinianum. In noua uerò lege Christus dominus no-  
 ster decus & principiū sacerdotij sempiterni, quod  
 etiā nunc perseuerat in ecclesia, uirgo fuit & ma-  
 ner in æternum. Et mater eius Maria, licet coniu-  
 bio sociata Ioseph: tamē coniūx existēs, uirgo permā-  
 sit, uirgo ante partum, uirgo in partu, uirgo usq; post  
 partum, uti euidenter licet demonstrare ex uerbis  
 Matthæi. 1. Et Lucæ 2. Virgo deniq; in æuū, sicuti  
 ex illo dicto: Quomodo fiet istud, quoniam uirum  
 non cognosco: colligunt patres a Aug<sup>b</sup> Beda & c D.  
 Bernar. & tota constanter tenet ecclesia. Virgo Ioan-  
 nes Baptista, quo non surrexit maior propheta inter  
 4 super E- natos mulierum. Virgo Ioan. Euangel. Hieronymo,  
 uāgel mis- Epiphānio, Ambrosio, Occumenio, totāque ecclesia  
 sus est. sic attestantibus: Cui uirgini uirgo dominus matrem  
 Matth., 11. b uirginem in cruce commendauit. Virgines fuerunt fi-  
 Hæresi 58, lii Zebedæ: ut affirmat Epiphānius contra Valesios  
 Actor. 21 b Virgines, aut continentēs alij Apostoli post suū A-  
 postolatū: quod omnino extra controuersiam est.  
 Virgines Philippi discipuli domini, de quibus in A-  
 ctis Apostolis, & in Eusebio fit mentio. Virgines Ti-  
 motheus, Titus & Clemens teste Ignatio in epistola  
 præallegata. Virgo autem continens Marcus Euang.  
 Et agmina illa sanctorum heremitarum ab ipso Mar-  
 co edocta in regionibus Aegypti. De quibus tam  
 admiranda refert Philo Iudæus, libro de uita theori-  
 ca supplicum, & Eusebius lib. 2. historie sue. Hic  
 uerò

a l. de S. vir  
 gin. c. 4. b  
 Beda in Lu  
 ca. c. Hom.  
 4 super E-  
 uāgel mis-  
 sus est.  
 Matth., 11. b  
 Hæresi 58,  
 Actor. 21 b

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

uerò si pergam recensere quæ ex Patrum scriptis aut  
usu uetusto probata habemus, annumerabimus myri-  
ades uirginum, calibumque utriusque sexus, qui se ca-  
strarunt propter regnum Dei. Nam si Ioannes Apo- Apo. 14. 2  
stolus per Apocalypsim uidit stantes ante thronum  
Dei, & agni, centum quadraginta quatuor millia eo-  
rum qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sed  
uirgines permanserunt sequentes agnum quocunque  
ierit ex tribubus filiorum Israël: Quanta credendum  
est, esse agmina eorum qui ex gentibus toto terra-  
rum orbe Dei & CHRISTO suam uirginitatem  
consecrauerunt. In iudicijs quæ notiora sunt, proba-  
tione non egent. At notorium est in Ecclesia Dei de  
sancto Anthonio. S. Martino. Sancto Nicolao, Agne-  
te, Cecilia, Agatha, & sexcentis alijs, qui non solum  
cœlibatum, sed & uirginitatem cum sanctimonia ui-  
te Deo inuiolatè seruauerunt. O detestanda malarũ mē-  
tium spiracula. An precor, spiritu aguntur ueritatis  
qui audēt Christifidelibus scripto tam manifesta mē-  
dacia, loco doctrinæ euangelicæ obtrudere?

Architecti dicunt in decimoquin-  
to articulo.

Nos cum Paulo dicimus credentibus nullum ge-  
nus cibi prohibitum esse.

Respondet veritas.

Quis



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

1. Cor. 8. b

Quia esca (ut Paul. inquit) non commendat nos Deo. Neque enim si manducauerimus abundabimus: Neque si non manducauerimus deficiemus. Rursum:

Pro. 14. b

Quia regnum Dei non est esca aut potus: sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Tertio quia idem asserit Apost. Bonum est non manducare carnē, & non bibere uinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Ideo laude digna & salutaris haberi debet abstinentia à carnib. & uino alijsque quibusdam escis, tãquam ab ijs quæ nos non commendāt Deo, & in quibus regnum Dei non consistit. Imò quorum usum relinquere bonū est.

Hiere. 35.

Vt te exerceas commodius in ijs in quibus consistit regnū dei. Hinc Rechabitz abstinētes perpetuo à uino ad mandatum patris Ionadab, Et Ioannes Baptista abstinens ab omni cibo & potu communi homi-

Matt. 11. b.

num, celebres facti sunt in regno Dei. Illi singulari prerogatiua sacerdotij: Iste encomio Christi asserentis inter natos mulierum non surrexisse maiorem Prophetam Ioanne Baptista. Sed & discipulus Pauli

1. Tim. 5. d

Timotheus continuo abstinuit à uino, donec scriberet ei Apost. Noli adhuc aquam bibere: sed modico uino utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. An Timotheus minus eam ob causam, & potius multò magis pertinebat ad regnum Dei? Potissimum cum religiosa abstinentia ab ijs, quibus lasciuia carnis fouetur pars sit iustitiæ, & conciliatrix pacis

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

pacis ac gaudij in spiritu sancto, sublata scilicet rebel-  
lione carnis per mortificationem ipsius, quoad ope-  
ra eius ad Galathas 5. annumerata. Atque adeo si re-  
gnum Dei est iustitia, est quoque et abstinentia, quæ  
velut pars in iustitia comprehenditur. Nusquam sa-  
nè prohibet mater Ecclesia ullum genus cibi aut po-  
tus, ut rem malam aut creaturam malam, uti Mani-  
chæi faciebant, & alij demoniorum doctrinis atten-  
dentes, quos acriter redarguit Paulus. 1. Timoth. 4. 4  
Neq; ut rem commaculativā interioris hominis pro-  
ut opinabantur Iudæi, quos & Christus redarguit.  
Sed probat omnia, quæ à Deo creata sunt ad perci-  
piendum cum gratiarum actione. Nihilominus lau-  
dat eos qui non solum certis diebus sicut omnes fide-  
les, sed etiam perpetuo ob continentiam ac pietatē,  
à certis generibus cibi abstinent, iudicantes cum Pau-  
lo bonum esse non manducare carnem, haud raro uo-  
ti promissione ad id ipsum se obstringentes. Adhæc  
constanter præcepit pro certis diebus & ob certas re-  
ligionis causas abstinentiam à carnibus, & quibusdā  
alijs, coercendi causa carnem nostram, cogendique  
eam sub obedientiam spiritus. Quemadmodum fecit  
se cōstat Ioannē Baptistā, Paulū apost. apud Timo-  
theum, Rechabitas, & innumeros alios doctrine E-  
uangelicæ alumnos. Legite a Philonem de patribus  
Aegyptiacis, Et b historiam ecclesiasticam. In pri-  
mis quod D. c Hieronymus scribit de patribus Here-

1. Cor. 9. d  
a Apud Eu  
feb. li. 1. ca.  
17. Vide eū  
dem.  
b. Li. 5. c. 3.  
de Attalo  
Martyre.  
c. Hier. in  
vita Pauli  
heremitæ  
& in vita  
S. Hilario-  
nis. ca. 8.

mi,

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

mi, deq; seipso, ac religiosi uiris secum commorantibus, inter quos aliquid cocti sumpsisse luxuriæ erat. Optimè quidem & disertissimè agit Christus contra insipientiam Iudæorum: docendo, + quod intrat in os, non coquinare animum: sed quod egreditur de corde, qualis est rebellio siue contemptus, contra ordinationes maiorum, ex inobedientia cordis surgens: Hæc enim coquinat & commaculat animam pars existens iniustitiæ depellentis à regno Dei: eò quod Christo & Deo aduersetur. iuxta illud: Qui uos audit me audit: Qui uos spernit me spernit.

Matt. 15. b Qui me spernit, spernit eum qui misit me. Quæadmodum & reā constituit animam corā Deo manducare

Lucæ 10. quid, cum offendiculo fratris: de quo Paul. Si esca scā

1. Cor. 18. c dalizet fratrem, non manducabo carnem in æteruū.

Matt. 18. a Qui autem scādalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt: inquit Christus, expedit ei. ut suspēdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundo maris: Quid adhæc O Calvinistæ? Esca uestra scandalizat non unum, ac alterum fratrem: sed infinitos eorum pro quibus Christus mortuus est: Et tamen ne unum quidem diem uultis abstinere a b esu carniū, iuxta ordinationem ecclesiæ, & traditionem Apostolorum, ne fratribus offendiculo sitis. At dicitis: Pro asserenda libertate euangelica facimus: sumus est iste uelamen insolentis licentiæ carnis.

Quoniam quidem regnum Dei non est esca  
aut

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

aut potus. Item: Esca nos non commendat Deo. Igitur nec in illis consistit libertas regni Dei: Quam sanè querere oportet in liberatione à uinculis peccatorum & mortis, in liberis exercitijs uirtutum regni Dei, ad cumulum salutis: Denique in abrogatione legis, qua populus Iudaicus grauiter premebatur

In licentijs autem uiuendi secundum carnem minime. Nam si secundum carnem uixeritis, inquit Apostolus, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs. Quod indubie fit exemplo Pauli per abstinentias & ieiunia, aliaque opera digna continentia.

Rom. 8. e  
Galat. 5. d

Architecti dicunt in decimosexto articulo.

Nos quoque agnoscimus bonum, et seruare ieiunium sobrietatis, absque eo quod ullum meritum ex eo queramus secundum uerba Augustini.

Respondet veritas.

Si non aliud ieiunium obseruatis, nullū profecto inter uos est ieiunium euangelicum. Constat enim ex uerbo Dei & factis Apostolicis, longe aliud esse ieiunium, aliud sobrietatem. Nam Apost. existentes cum Christo non ieiunabant: Sobrie tamē ac moderate uiuebant, siquidem discipuli Ioan. Bapti. & Phari-

riseos



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Marc. 2. c

risæorum interrogabant CHRISTVM. Quare discipuli Ioannis & Phariseorum ieiunant: cur autem discipuli non ieiunant? Quibus res-

Matt. 4. a

spondet Christus: uenient dies quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Aliud itaque est ieiunare, quam solriè uiuere: Et Christus an non semper sobriè uixerit? Et tamen non legitur ieiunasse nisi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Insu- per discipuli eius post spi. itum sanctum acceptum, an nō clarebāt uirtute sobrietatis? Nō tamen semper ieiunabāt, sed sepè, sed multū pro tēporis & causa exigentia. Vt cum genus certum demoniorum foret eijciendum, de quo Christus: Tale genus demoniorū non eijcitur, nisi per ieiunium & orationem: Aut cū dimittendi forent fratres, ad functionem Euangelicam Actorum 13. a. Vel constituendi essent Presbyteri prout nunc etiam ea de causa indicitur ieiunium: Aut proficiscendum esset quopiam, ut ibi: Et cum orassent, inquit Lucas, cum ieiunationibus commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt: Aut cū pericula deprecanda essent: uti ieiunarunt etiam ultra modum consuetum ex præscripto Regio, Ninia uite. Iona. 3. b. Israëlita cæsi à Beniamitis. Iudicū 20. b. Bethulienses sub Iudith. Et ipse quoque sanctæ mulieres Iudith & Hester. Paulus quoque cum alijs secum existentibus in naui imminente naufragio. Act. 27. d. Et sanè ieiunarunt isti non ex præscriptione le-

gis

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

gis, sed ex deuotione: ut placaret facie domini. Quæ  
 lia certi temporis, & causæ ieiunia ferè semper con-  
 iunguntur cum orationibus & eleemosynis, sicut  
 etiam nunc coniungenda docentur. Quod Angelus Tob. 11. b  
 Raphaël clarè docet dicens: Bona est oratio cum ie- Ori. in 10 b  
 iunio, & eleemosyna. Ieiunare itaq; Euangelicè est lib. 3.  
 sibi subtrahere cibum & potum, quantum uires na- De ieiunio  
 turæ commodè ferunt. Eleuatio insuper mentis, & quad. Can.  
 mortificatio carnis, uirtutis denique studium requi- 68. Apost.  
 runt. Quādo ieiunamus: O uiri, inquit Origines, ab a ep. ad Phi  
 stinemus nos, ut non gustemus carnes, neque uinum, lip. quæ est  
 neque superfluas escas. Sobrietas uerò in moderato, si s. b. Ro. 10.  
 ue ratione temperato usu cibi & potus cōsistit, estq; in leuit. c.  
 omni tempore seruanda. Quapropter ualdè repre- li. 3 pascha  
 hendendi sunt, tanquā deprauatores scripture, qui pio & in fi  
 cunque sic, ut uos, loquūtur de ieiunio: Similiter qui nel. 1. d. ho  
 distinguunt inter ieiunium Ecclesiasticum, & iei- mi. 1. in ge  
 nium Euangelicum, quasi stata ieiunia Ecclesiæ, quæ ne. epi. ad  
 dragesimæ & quatuor temporum anni ac alia, non marcellam  
 essent ieiunia Euangelica. Et Euangelium non agnos- f li. 30. cōt.  
 ceret pro ieiunio, nisi sobrietatem in uictu, & quod Faust. ca. 5.  
 à legibus Ecclesiæ liberum existit. Quod autem il- t De ieiunio  
 lud quadragesimale ieiunium fuerit in ecclesia tem- 4. serie  
 poribus Apostolorum, & ab illis doctum ex scriptis & pro sab-  
 patrum, luce clarius demonstratur B a Ignatiij disci- bati.  
 puli Ioannis Euāgelistæ, b Origenis, c Theophili Ale-  
 xandrini, d Chrysostomi, e Hieronimi & f Au. t De  
 H quare

# SUCCINCTA DEMONSTRATIO

Hæres. 75, quarta uero feria, & pro sabbato testatur† Epiphanius, quod Apostoli tr. diderint illis diebus ieiunandum esse, excepta sola Pētecoste, per totos quinquaginta dies, in quib. nec genua flectimus, nec ieiunare imperatū est. Theodosius iunior plerumq; ieiunabat, et Li. 11. ca. 17. maximè quarta & sexta ferijs, studio Christianismi (ut refert Historia Tripartita.) Nec aliud quàm monasteria regalia uidebantur. De eisdem quoque ferijs habet Ignatius in epistola ad Philippenſes, Simili

li. de cor. militis. ter & Tertullianus & Origenes, Quantū deniq; ad postremam partē articuli hoc dicimus quod ipse Augustin (quem falso allegasti) dicit. Nempe: Pro amore corporis castigandi abstinentibus à uino uel carnibus, nihil credere meriti accrescere. Nō hoc Christiani est, sed Iouinian. Quoniam scriptura sancta clare docet, quod oēs nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonū, siue malū. Hoc quidē generale. Caterum de abstinentia et ieiunijs etiam speciatim constat ex scripturis. Nam Rechabitz fuerunt eximie remunerati, propter abstinentiam à uino, Hiere. 35. Et Anna Prophetissa digna inuenta est, agnosce re puerum Iesum, propter ieiunia sua & oratiōes nocte ac die. Ieiunia insuper Niniuitarū ac orationes meruerunt, ut euaderent interitum sibi à Deo minatum. Nam & Chrysost, dicit: Ieiunium casuram ciuitatē saluauit. Et ipsi Niniuitæ (ut asserit D. Augustinus) agens

Ho. 10 in le uit. de eccl. dogm. ca. 68. & in ii. de hæres. Hæres. 26. a. Cor. 5. b.

Luc. 2.

Ho. 1 de peccat. nitentia.



## ERRORVM CONFES. CALVIN.

agendo poenitentia ira Dei placauerunt, & misericordiam meruerunt Adhuc ieiunia & orationes Iudith & Bethulienfium, Hester quoq; & Mardochei, ac populi tunc captiui, nonne obtinuerunt a domino quod uoluere? Audax autem facinus est per calumniam imponere D. Augustino id, cuius ipse contrarium manifeste docuit. In quo r. fero me ad ocularem inspectionem librorum eius, specialiter ad tractatum 17. super Ioannem per uos citatum.

Architecti dicunt in decimosextimo articulo.

Christus ad conseruationem ecclesie sue, instituit anathema, siue excommunicationem.

Respondet veritas.

Excommunicationem, qua etiam nunc utitur Ecclesia, uelut Apostolica pollens auctoritate, eandem esse cum ea, qua olim utebantur Apostoli, sit manifestum ex formulis anathematizandi, tum a Christo, tum ab Apostolis eius praescriptis. Excommunicat nunc ecclesia, eos qui scandalo esse non desistunt ipsi ecclesiae, siue corpori fidelium. Hoc autem ut faceret legem, accepit a Christo dicente: Si scandalizauerit te oculus tuus, manus tua, pes tuus, erue, absconde, proijce abs te. Loquens ad ecclesiam credentium. Erue, inquit, extra communionem tuam, ascinde a corpore tuo, proijce foras longe abs te. Excommunicat nunc ecclesia schisma

Matth. 18. 6



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

**Matth. 18. c.** **re** reculant. Hoc autē ut fieret legem tulit Christus dicens: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis. Quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in caelo: Et quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelo. Ecce potestatem adiūgit faciendi, quod ut fieret, per legem praeceperat. Tertio ecclesia nunc anathemate segregat haeticum hominem, non solum à sanctorum communione: Verum etiam à consuetudine in ciuilibus. Quod sanē ut sic faceret, formam praescripserunt Apostoli. Paulus ad Galath. 1. b. dicens: Si quis vobis Euangelizauerit praeter id quod acceperitis, anathema sit. Et ad Titum 3. c. Haeticum hominem post primam, & secundam correptionem deuicta. Adeo ut eum non recipiat quis in domum suam.

**Epi. 2. c. 1d.** Nec due illi dicat, secundum Ioannem. Qui enim dicit illi Aue, cōmunicat operibus eius malignis. Nunc insuper Ecclesia excommunicat illos, qui scdis & detestabilibus sceleribus ipsam quasi despicabilem reddunt, tradendo eos Sathanae. Omnis siquidem excommunicatio traditio quaedam est Sathanae. Hoc autem ut faceret, reliquit ei Apostolus manifestum exemplum tradendo uisibiliter Sathanae ad interitum carnis: ut spiritus saluus fieret. Primo incoestuosum illū

**1. Corint. 5** Corinthiū, Deinde blasphemos illos, Alexandrum et  
**2. Tim. 2. d** Himineum. Ut discerēt non blasphemare. Fines quos  
que

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

que ob quos illi excommunicandum docuerūt, obser-  
uat etiam nunc ecclesia catholica: nempe ut præsere-  
uetur totum, Matthæi 18. b. Vt spiritus saluus sit in  
die domini nostri Iesu Christi 1. Corin. 5. b. Vt discāt,  
qui ante blasphemierant, non blasphemare. 1. Tim. 1.  
d. Vt anathemate confundatur, et pudefactus resipis-  
cat. 2. ad thessal. 3. d. Quod etiam si non sequatur: Vt  
ceteri timorem habeant. 1. Timot. 5. c. Nam modicum  
fermentum totam massam corrumpit. Expurgatè ita  
que uetus fermentum inquit Apost. hoc est in cœstuo-  
sum illum de quo scripsi: ut sitis noua cōspersio. Pars  
omnis est propter totum: non autem totum propter  
partem. Vbi itaq; toti à parte imminet periculum,  
expedit partem negligere, imò abscindere, ut conser-  
uetur totum. Argumentum sume à naturā ibus. Nisi  
enim minuas sanguinem noxium Phlebotomia mori-  
tur homo. Rursum nisi tempestiuè refeces membrum  
pestifero igne infectum, perdis totum. Et ab ouili ni-  
si submoueas ouem morbidam totius gregis iacturā  
facis. Fines insuper siue rationes ob quas debent ab a-  
ljs uitari qui excommunicati sunt. Primo quia dicit A-  
postolus: Obedite præpositis uestris. Secundo. Non  
commisceamini illi (scilicet nota) ut confundatur.  
Tertio quia qui dicit illi: Aue, communicat operibus  
eius malignis (de Doctore male doctrinæ loquitur.)  
Quarto, quia cum peruerso peruerteris. Et: qui tan-  
git picem inquinabatur ab ea. Adeoq; autem mordi-

Gal. 5. b  
1. Cor. 5. c.

Heb. 13. e  
2. Thes. 3. d  
2. Ioan. 1. d  
Psalm. 17. c  
Eccle. 13. a

## SVCCINTA DEMONSTRATIO

eus semper retinuit hanc disciplinam Ecclesia, Dei,  
ut nulla unquam tyrannorum vi, nullo furens populi  
impetu, eam sibi eripi passa sit, quod sine ea consti-  
tere nequeat. Quandoquidem excommunicatio  
reuera est custos fidei, retinaculum spei, iudex itine-

Cyp. ep. 7. ris salutaris, fomes uirtutum, & omnis corruptelæ  
lib. 2. repurgatio. Quam qui diuiserit, instabili cursu  
aberrat necesse est. Et huc atque illuc impulsus uar-

rijs dissidentium malorum tempestatibus dissipabitur,  
& quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo,  
nauem ecclesiasticæ salutis illi det in scopulos. Hæc  
Cyprianus: Caterum disciplina ista anathematizan-  
di, Christi auctoritate, apud uos esse nequit, ob præ-

Vide supra gnantes illas causas supra explicatas. Fugitiui enim  
arti. 7. estis, & proiecti procul extra Ecclesiam Catholicam,

cui uni donauit Christus, quicquid hic in terris re-  
liquit. Vanum igitur est quod tentatis, irritum  
ac nullum quod agitis per Anathemata uestra: Et  
qui metuunt illa, damulis timidiore existunt, trepi-  
dantes timore ubi nullus est timor. Et profecto gra-  
uiter eiusmodi usurpatione in Deum, ac Christum  
peccatis. Nihilominus thesauri misericordiarum eo-  
ius, & gremium sponsæ ipsius matris nostræ ecclesiæ  
semper patent cuique in hoc mundo respiscendum, si  
supplex fiat, & reconciliationem petat. Quam certe  
præpositi ecclesiæ perlibenter impendunt, non qui-  
dem annunciando duntaxat solutionem, aut remis-  
sionem

## ERRORVM CONFES. CALVIN.

tionem factam esse, (sicut uos malè dogmatizatis,) sed uerè soluendo anathemata, uerèque remittendo peccata, quibus legati estis. Eo quod Christus plano Matt. 18. a sermone dixerit: Amē dico uobis: Quaecunq; solueritis super terrā, erūt soluta & in cælo. Rursum: Quo Ioan. 20. f rum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et Paulus: 2. Corin. 21 Ego, quod donauī, si quid donauī: propter uos in persona Christi. Quæ obsecro hic nuntio, annunciationis, & nō potius donatæ et exhibitæ recōciliationis? Verè etenim soluunt, uerè remittunt, uerè donant, siue condonant sacerdotes, & præpositi ecclesiæ. Sed in persona Christi, sed legatione fungentes pro illo. Quemadmodum alienus quis uestras Caluinistarum uestes, ædes, fundos, uerè uenderet, & ad aliū dominium transferret, uerèq; condonaret peccata in uos commissā, si à uobis eius faciendi accepisset tā expressam, tamq; legitimam potestatem, siue procurationē (ut causidici loquuntur) quā Pontifices & sacerdotes acceperunt à Christo in Euangelio salutis.

### Architecti dicunt in eodem articulo.

Modum reconciliandi excommunicatos iam dictum, agnoscimus: Non tamen confessionem auricularem ex eo fabricatam.

### Respondet veritas.

Ut omnibus constet origo & modus confitendi



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Euangelicè peccata sua, cui impudenter contradic-  
tis, suscipite eius declarationem ex uerbo Dei. Quā-  
do Ioannes baptista uenit prædicatum poenitentiam,  
baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata  
sua. Obserua: confitentes, non utiq; se peccatores esse  
sed peccata sua, idq; indefinitè. Ergo omnia peccata  
sua, & hoc ex instructione Ioannis, (nam nusquam  
antea factum legitur) qui designatus erat præcursor  
domini, non solum in modo baptizandi, sed etiam in  
modo poenitendi, ac confitendi peccata sua. Exinde  
quando docebat Ioannes Euangelista dixit: Si confi-  
teamur peccata nostra, fidelis est & iustus: ut remita-  
tat peccata nostra. Hic rursus obserua locutione inde  
finita dictum esse, nec sermonem esse, quam de cōfesi-  
sione peccatorum quæ Deo fit, aut uicario eius. Ter-  
tio quando Iacobus Apostolus scribebat epistolā suā:  
Confitemini inquit, alterutrum peccata uestra. Ho-  
mo scilicet homini. Non quidem solum Deo, sed etiā  
homini, illi scilicet, qui relaxandi ea, à Deo potesta-  
tem accepit, iuxta doctrinam nostram, cuius hæ liti-  
re commune factorie sunt. Quarto quando in actis  
Apostolorum narratur hoc modo: Multiq; credentiū  
(attoniti ex præeunte miraculo) ueniebant confiten-  
tes, & annunciantes actus suos, hoc est sua prout fa-  
cta fuerant à se peccata. Et id etiam indefinita locu-  
tione. Ergo omnes tales actus suos. An non clarè est  
ex his uidere uniformem modum cōfitendi peccata à  
tribus

Matt. 3. b

1. Ioan. 1. d

Iacob. 5. d  
Vide vene-  
rabilè Be-  
da in eundē  
Iacobi lo-  
cum.

Act. 19. d

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

tribus Apostolis, & præcurfore domini breui sentētia, quasi uerbo uno expressum esse? Ne autem eiusmodi modus esset in Ecclesia infructuosus, aut parum consolatorius, dedit ipse Christus ad patrem hinc ascensurus, Apostolis Presbyteris, ac pròinde eorū successoribus, potestatem remittendi hominibus peccata, & retinendi ea, prout illorum cōfessio postularet, dicens: Sicut misit me pater, & ego mitto uos. (Ea- 102. 20. e f  
dem scilicet potestate) Hæc cum dixisset insufflauit, ut intelligerent se aliquid accipere ab eo) & dicit eis Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et quorum retinueritis, retenta sunt. An precor planius quid lucidiusq; dici poterit? Ante quidem data fuerat eis potestas, super omnes languores, & infirmitates, potestas, in super soluendi, ligandiq; in terris. Tertio potestas consecrandi eucharistiam. Denique isto loco dedit eis potestatem nominatim super peccatis remittendis, uel retinendis. Et hoc post datum sacerdotium. Vt intelligamus eam ad solos sacerdotes pertinere. Prout legitime ex instrumēto sacri Euāgelij constat, morte Christi confirmato, & sanguine illius sigillato, cuius Ioānes Euangelista notarius fuit. Nec quicquam agit sacerdos nomine proprio, aut uiribus à natura acceptis, uel sanctitate uitæ suæ, sed tanquāmissus, et nomine mittentis. Ideoq; dicit: Absoluo te in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Et id, ut plenius in-

Matt. 10. 2  
Luc. 9. 2  
Matt. 18. 6  
Luc. 22. 6  
102n. 20. 8

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

telligatur subinde etiam addit: Auctoritate qua fungor, uelut commissarius Dei ac Christi. Superinducam his uerbum unum, quod quidem terribiliter sonat, attamen uerum est.

Ioan. 5.d

A tempore quo publicatum fuit, & inoleuit sufficienter quod pater non iudicat quenquam, sed omne iudiciū (peccati scilicet) dedit filio, quodq; omnia tradita sint filio à patre, & in illius manu posita. Nō potest Iudæus, aus gentilis, nobilis, siue ignobilis remissionem peccatorū suorū acquirere, quādiu cōtēnit eam per Christū filiū querere. Similiter postq̃ Christus, quā à patre acceperat, ulterius trāsfundit in sacerdotes potestātē remittēdi, & tinēdiq; peccata: Ne mo omnino accipit remissionem peccatorum, quādiu contemnit illā querere per sacerdotem locum tenētem Christi. Eleuat enim iste, & uilipendit cōstitutionem filij, sicut priores constitutionem Dei patris. Quod indubiē per quam grauis culpæ rerum, & oblectationis cōtra Deum efficit. Ex præmissis penē uniuerſa quæ ad confessionē Sacramentalē pertinet, dilucidē constant. Quod enim in noua lege fiat confessio peccatorū non solum Deo, sed & homini uicario Christi, idquē sub certa spe accipiendi remissionem, est, quia Christus de beneplacito patris sic ordinauit. Vti ex præmissis patet. Et cedit id in magnam consolationem peccatoris. qui cum antea nullum haberet iudiciū remissionis factæ, nūc habet in quo cer



## ERRORVM CONFES. CALVIN.

to confidere potest. Deinde quod confessio fiat ad aures sacerdotis, aut alias secreto, est: Quia quæ in Deum committuntur peccata, non oportet reuelare nisi Deo, et uicario eius. Tertio quod non sufficiat confiteri se peccatorem esse, sed oporteat peccata, quorum memoria occurrit, singulatim exprimere, est, quia scripturæ supra citatæ, concorditer de ipsis peccatis confitendis loquuntur. Et id in effectu sermone uniuersali. Quia omnis indefinita enunciatio in disciplinis ualet uniuersalem. Quare omnia post seriam recollectionem occurrentia sunt confitenda. Potissimum autem sic fieri debet: quia Christus Ioannis 20. commisit iudicium peccati sacerdoti, qui cum homo sit non habens inspectionem cordium, nequit esse idoneus iudex super peccatis, nisi sibi enarrata fuerint. Et sanè eandem ob causam necesse est, exprimere eas circumstantias, quæ in aliam peccati speciem trahunt, uel sic aggrauant, ut iudicium sacerdotis merito immutarent. Quarto quod in confessione non nisi propria delicta sunt confitenda, et ea tanquam actus proprii à se commissi, est, quia scripturæ prædictæ dicunt sua peccata, suos actus, non quidem aliorum, sed quæ à te tanquam proprii tui actus commissa sunt. Quinto quod debeat fieri confessio cum poenitudine de peccato, atque tristitia quæ secundum Deum est (ut Paulus loquitur) est: quia fit ab homine mortis, æternæque damnationis reo, cum fiducia reconciliationis

2. Cor. 7.



# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Epi. 8. q̄ est ciliationis inuenien le. Merito igitur debet esse sup-  
ad Demo. plex, & dolore plena ipsius confessio: Vt fini debite  
b l. de pen. proportionetur. Quod nisi sacerdos animaduertat  
paulo ante in confitente, remittendi potestatem non habet. Scit  
finē. c Ho. enim Christum, cuius uicem gerit nihil remittere im-  
17. in Lu. & pœnitentibus. Sexto quod ab initio sub temporibus  
hō. 2. i Psa. 37 post me. Apostolorum, & exinde usque ad nos semper in usu  
Ho. 1. in Le fuerit peccatorum confessio, sit manifestum, partim  
uitici. post ex scripturis præallegatis, partim ex libris patrum  
med. d. Ser. sic attestantium, a Dionisii, b Tertulliani, c Origenis  
5 de lapsis. e Ca. 18 in d Cipriani, e Hilarij, f Basilij, g Chrysostomi, h Am  
Ma. f in ps. brofii, i Hieronymi, k Augustini, l Leonis, & aliorū  
32 & in re. Loca in margine annotasse sufficiat. Ipsi uos ad ea  
breuiori in sufficiāt. Ipsi uos ad ea recurrite. Adhæc non debet  
terrog. 288 morosus esse sacerdos in remittendis peccatis confis-  
g. Ho. 10. in tentium est, quia dixit dominus. Non dico tibi Petre  
Mat. ex ver fione Ania septies (scilicet remittendū esse fratri) sed septuagies  
ni sec. anti septies. Rursum: Et si septies uenerit in una die, &  
qua exē im dixerit, pœnitet me, dimitte illi. Nota: Et dixerit:  
pref. an. 15 pœnitet me. Dominus summè largus est in misericor  
22 h. l. 1. de dijs, & miserationibus. Non debet igitur habere di-  
pœni. ca 2. spensatorem parcum, & tenacem, nisi quantum emē-  
& 16 & l. 2. datio pœnitentis requirit. Illius enim thesauri miseri  
c. 1. 7 10. i in cordiarū nunquam exhauriuntur. Denique quod sa-  
16. c. Ma. & cerdos importat confesso emendam quandam siue dis-  
in 10 c. Ec. ciplinā, quā uulgo pœnitentiam uocamus, est, quia  
& epist. ad ciplinā, quā uulgo pœnitentiam uocamus, est, quia  
marcellā. sicut filius Dei non potest facere à se quicquam, nisi  
k. l. 56. ho. quod

## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

quod uiderit patrem facientem: Ita quoque nec uicarius eius, in locum ipsius substitutus. Dicit autem Apostolus de Deo patre: Flagellat omnem filium quem recipit: Non quidem eum qui in gloria peccauerat, sed quem recipit, postquam de gloria prolapsus fuerat. Rursus Et quis filius quem non corripit pater? scilicet, delinquentem. Itaque sacerdos ad hæc respiciens imponit filio Ecclesie resipiscenti & confitenti disciplinam aliquam in orationibus, uel ieiunijs, uel elemosinis, aut alijs pijs exercitijs perficiendam. Quæ & satisfactio communiter, & non incongruè uocatur. Primo quia per eam satisfit iudicatio sacerdotis: (ut iurisperiti loquuntur. Deinde quia per eam scit, quantum Deus essensus quod per iudiciũ sacerdotis à peccato te fieri uoluit. Non utique quantum peccatum requirit. Quomodo satisfacere pro peccato solius Christi est. Ex præmissis benè massicatis conuicta intelliguntur uaria uestra, quæ per eundem articulum sparsistis mendacia. Id autem quod in principio articuli inseritis de diaconis ad conseruationem ecclesie uestræ constitutis, quorum officium sit prouidere pauperibus, nec conformiter dicitis scripturæ, nec benefacitis commemorando illum ordinem solum, omnibus alijs ministerijs, ac potestatibus ecclesie dolosè prætermisissis. Vt supra declarauimus.

Architecti dicunt in ultimo articulo.

Et

49. c. ii. 11.  
de uisit. in  
firmo. c. 4.  
5. & 7. ep. 91  
ad Theod.  
Foroluiæ.  
Matt. 18. c  
Luc. 17. a  
Heb. 12. b

## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

Et infidelibus iuxta sententiam Dei stagnum ignis, ubi uermis illorum nunquam moritur.

Respondet veritas.

Marc. 16. d. Omni dubietate procul, condemnabuntur iuxta  
sententiam domini omnes infideles. Qui enim non  
crediderit, condemnabitur. Inter infideles autem ne-  
cessario annumerari debent heretici: quoniam non  
credidere, et medio modo, siue nō plenē credere, pro  
eodem habētur in cosistorio Christi. Sicuti nō fecisse  
aut medio modo, uel non, ut oportet fecisse: coram  
uniuersis tribunalibus pro eodem reputantur. Quan-  
tum uero ad articulum atinet, diuisio uestra, qua ui-  
demini uelle docere omnes fideles saluandos: Om-  
nes aut infideles proijciendos in stagnum ignis, omni  
Apo. 20. d. no impia est, & prorsus aliena à uerbo Dei. Dicit e-  
Apo. 12. c. nim scriptura: Et qui non inuentus est, scriptus in li-  
bro uitæ, missus est in stagnum ignis. Pauloque infer-  
rius: Foris canes, & uenefici, & impudici, & homici-  
dæ, & idolis seruientes. Et omnis qui amat, & fa-  
cit mendacium, siue fideles fuerint siue infideles.  
Nisi uos intellexeritis per fideles omnes & solos qui  
corde, ore & opere fideliter inhaerent omnibus his,  
quæ à Christo & Apostolis eius annūtiata sunt. Per  
infideles uerò qui non sic toti, ac prorsus insistant do-  
ctrinæ ueritatis. Quod certè non solum præter con-  
suetum usum esset dictarum uocum, uti ex Paulo cō-  
stat



# ERRORVM CONFES. CALVIN.

stat qui dicit: Itaq; linguæ in signū sunt nō fidelibus: sed infidelib. Prophetia aut nō infidelib. sed fidelib. Sed e iā imprimis dolosē fieret ad deceptionem multorum, qui putarent se non damnandos retenta fide, qua Christifideles dicuntur. Vosque omnes, quantū uidere est ex conuersationibus uestris, comprehenderet sub nomine infidelium damnandorum in stagno ignis. At reuertamur ad usitatum modum scripturæ sanctæ. Christus exprimens nobis quendam gustū futuri iudicij sui, docet hædos collocatos à sinistris, dānandos propter defectum operum misericordiæ. Omnes uerò à dextris saluandas propter eadem opera misericordiæ piē impensa. Iterū seruū pigrū condemnandum quod non fecerat fœnus domino, siue lucrū ex talento sibi credito. Tertio fatuas quinq; uirgines exclusas de regno celorum, quod non haberent oleum in lampadibus suis, etiamsi integritatem fidei ab initio acceptam, nunquam commacularunt consortio hæreticorum aut malè doctrinæ. De talibus enim uirginibus ibidē loquitur dominus. Apost. autē multo aptius, quā uos dicit: in flāma ignis dantis uindictā his, qui non nouerūt eū per fidē scilicet, & nō obediunt Euāgelio domini nostri Iesu Christi: Hoc posterius de inobedientib. ac malè uiuentib. Christianis. Quod uel hinc clarum efficitur: Quia Matth. ex ore Christi nominat septem peccata: Marcus uerò tredecim;



## ERRORVM CONFES. CALVIN.

sim: De quibus dicit dominus, ea cōmunicare, & cō-  
maculare hominem. Paulus autem ad Corinthios an-  
numerat decem peccata, ad Galatas uerò decem & o-  
cto. De quibus inquit: prædico uobis sicut & prædi-  
xi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conse-  
quentur etiam si credant in Christum. Nam ad Corin-  
thios & Galathas credētes, scribit. Quam autem ter-  
ribiliter loquatur dominus de peccatis in spiritu san-  
ctum, patet Matthæi 12. ubi asserit quod non remit-  
tetur neq; in hoc seculo, neque in futuro, neq; in æter-  
num, uti Marcus dicit. Qui utique malitia in spiri-  
tum sanctū peccant omnes, qui contra agnitam ueri-  
tatem ficta fide negotiantur in populo, aut gloriæ,  
aut uentris, aut mammonæ causa.

Architecti dicunt in decimonono  
articulo, quem loco conclu-  
sionis ponunt.

Probate inquit cuncta uerba nostræ confessio-  
nis ad uerum lapidem lydium, nempe scripturam sa-  
cram & quicquid alienum ab ea inuenieritis, anathe-  
ma esto.

Respondet veritas.

Id ipsum iam fecimus singulatim de singulis: &  
quàm scateant hæresibus, mendacijs, scripturarumq;  
deprationibus, demonstratum ex uerbo Dei & patri-  
bus luce clarius reddidimus. Quapropter ab ea, ue-  
lut

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

lut impia, omnibus quibus sua salus curæ est, abstinē-  
 dum denunciamus. Nec in isto quicquam præpropet-  
 re agimus. Nihil enim hac nostra censura rejicimus,  
 quod non est multo antea à liberis legitimisq; concil-  
 ijs Occumenicis debite, condemnatum. Quod porro  
 uos oratis magistratum, ne sanguinem innocentē fun-  
 dat, id ipsum catholici Ecclesiæ ministri faciunt. Ac  
 multo quidem instantius, quam uos: haud raro incre-  
 pationib. acerrimis adhibitis. Idq; exēplo nō solū D.  
 Ambrosij, qui prohibuit Theodosium Imperatorem  
 ab ingressu templi: quod sanguinem innoxii simul  
 cū noxio in Thessalia effudisset: sed & Helie The-  
 bytæ Prophetæ domini dira pronunciantis in Achab  
 Regem & Iesabel uxorem eius, omnemq; posterita-  
 tem eorum. Quia fuderant sanguinem innocentem  
 Naboth Israëlitis. Quod plusest, omnibus modis in-  
 tercedunt illi etiam pro ijs, qui fontes existunt ne in-  
 terimantur, uti fecit. D. Augustinus epist. 159. ad  
 Marcellinum Tribunum, & Epistola 160. ad Aprin-  
 gium. Hoc sanè est officij ministrorū Ecclesiæ Prin-  
 cipes uerò & potestates mūdi huius certum habent,  
 se non sine causa gladium portare, tributa in hoc &  
 uectigalia accipientes. Vti exactè docet Apostolus  
 ad Roman. 13. per totū. Causa autem istius est, plu-  
 blica trāquillitatis cōseruandæ ratio, ut in omnibus,  
 ita potissimū in religione: Quò quictā, & trāquillā  
 uitam agamus in omni pietate & castitate, inquit

Lib 9 hist.  
 Tripart. c.  
 30. ex The-  
 odoreto.  
 3 Reg 21 ca

# ERRORVM CONFES. CALVIN.

Paulus. 1. ad Tim. 2. a. Sine religione enim, nihil sunt reliqua omnia: at perirent & corpus & anima, & quicquid officio tã publico, quam priuato comparatũ est. Habent illi suas leges, & legum suarum indubitatas rationes, Quas si cõtulerint, ad sacra Bibliorum eloquia, Exodi. 23. g. & 32. f. Numeri. 25. a. b. c, Deut. 13. a. b. c. 17. a. c. 18. d. Iosue 22. c. 3. Reg. 18. g. & 20. g. 1. Esd. 7. d. Dani. 3. g. Zach. 13. a. uidet illas adeo altè, adeoq; multifariam radices figere in uerbo Dei ut cõtradicens nullus relinquatur locus. Fonatur, si placet, hinc indè in bilibri dictarum scripturarum sententiã, et quas in diuersum adfertis rationes: certè memento citius, illæ istas uelut plumulas quasdã & Psalm. 2. c. leuabunt. Legite comment. D. Hieronymi in dictum 13. caput Zachariæ, & epist. D. August. numero 50. ad Bonifacium comitẽ, in qua tractat illud Davidis. Et nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, &c. Quis inquit, mente sobrius regibus dicat, nolite curare in regno uestro à quo tueatur uel oppugnetur ecclesia domini uestri? Nõ ad uos pertineat in regno uestro, quis uelit esse siue religiosus, siue sacrilegus. Non ad uos pertineat, quis uelit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim cum datum sit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non seruare, leuius est, animam Deo, quam foeminam uiro? Legite & id quod habet lib. retract. 2. ca. 15, Et epistolam

ERRORVM CONFES. CALVIN.  
pistolam ipsius quadragesimam ceterauam.

Architecti dicunt in eadem  
conclusionem.

Adhæcrogamus omnes, qui adhuc sub cœcis du-  
cibus aberrant à uijs Domini, ut hanc nostram confes-  
sionem bene inspicere dignentur.

Respondet veritas.

Præcedentibus demonstrationibus probè expen-  
sis constabit longè potius inspiciendum esse, quod  
habetur Acto. 19. d. in hunc modum: Multi autem ex  
eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et  
combusserunt eos coram omnibus, & computatis  
pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum  
quinguenta millium: ita fortiter crescebat uerbum  
Dei, & confortabatur. In hac enim scriptura est uide-  
re quid de eiusmodi confessionibus fieri debeat. Nam  
si libros, quod curiosis essent infidelium commentis  
infecti, tum temporis corā omnibus, rogis dare oport-  
tebat singulis suos in hoc conferentibus. Multo sanè  
iustius non oculis inspicienda erit uestra confessio,  
nec manibus terenda: sed ignibus concremanda sin-  
gulas suas, quas habent in hoc conferentibus. Quam  
scripturam secutus Constantinus magnus, edicto sta-  
tuit omnes Arrii hæretici libros ignibus debere com-  
buri, sed grauissimis pœnis. si quis eos ad rogam non  
comportasset. Nō enim pauciora aut minus impia do-

gma=



## SVCCINCTA DEMONSTRATIO

gmata uestri, quam illius libri continent. Tam igitur pia est dicta uestra inuitatio, quam si fieret ad populum ueneri sub nomine mellis aut uini. Quod autem præcedit de aberrantibus sub præeuntium cæcorum ducatu, in uos sanè similisq; farinæ magistros quam aptissimè quadrat, non autem in orthodoxos ueteris religionis concionatores, prout irrefragabili conuincere argumento in promptu est. Infinitis modis (uti certum habent omnes) cōtingit aberrare: uno autem benefacere. Cum igitur scripturam Euangelij Christi, quo ducimur ad uitam Christianæ professionis scopū, cōtingat innumeris modis malè: uno autē modo bene interpretari. Infinita sunt deuia, per quæ aberratur à dicto scopo. una uerò duntaxat regia uia ducens inoffensè quò eundem est. Insequendo uidelicet uniformem atque perpetuum patrum consensum, matrisq; Ecclesiæ, quæ spiritum Christi habet, attestatiōē, proprii sensus iudicio posthabito. Quod profecto faciūt quicunq; habētur doctores, uel concionatores catholici, certissimè hoc modo et infallibiliter ostēdentes (quantū ad doctrinā) quæ sit uia uilæ et q̄ semita iustitiæ, ad optatum beatitudinis finem. Vos autem è contrario, patrum consensu, Ecclesiæq; attestatiōe posthabitis, interpretamini, quisque suo sensu, ut lubet scripturam Euangelij Christi. Idcoq; ex scripturis tot noua conficitis fidei Euāgelia, quot habetis ingeniosos sectarum magistros. Quæ haud  
dubie

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

dubiè aui sunt, errorumq; ambages, in foueas & præcipitia ducentes incautos ac ueritatis imperitos. Illi ut homines peccant quidem, & sanè grauiter, nec id raro in moribus uitæ propriæ: Cæterum ueritatem doctrinæ non intermittunt, dictum iudicem directè semper præ oculis habentes, neque ad sui imitationē 1. Cor. 11. prouocant, uti Paulus solet, dicendo: Fratres imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quia non sicut ille, ita & ipsi inoffensæ uitæ sibi consciij existunt. quanquam merito ad id niti debeant: Verum ad Apostolorum Patrumque ter sanctas uitas inspiciendas, & ad traditiones ab ipsis acceptas sedulo hortantur, Deut. 32.2  
Hiere. 6.d sicut Moyses fecit: Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi. Et dominus per Hieremiam: State inquit, super uias & uidete & interrogate de semitis antiquis, quæ sit uia bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus uestris. Sanctitatem uitæ Martyrum, Confessorum, Virginum aliorumque, quos constat legitimo testimonio operatos fuisse iustitiam atque ita repromissionem adeptos, ueluti speculum euangelicæ doctrinæ uitæ exprimendæ diligenter ante oculos populi, quoties opportunum est ponentes. Vos autem nec sanctorum memorias, nec crucifixi domini recordatiuam imaginem nec patrum traditionem admittitis, aut eam populo commemoratis, quo magis tecti maneat, quos docetis errores in uestram aliorumque per

# SVCCINCTA DEMONSTRATIO

ditionem. Quapropter uobis uelut desperatis relictis  
ad pios harum regionum me conuerto, uerbis Pauli,  
hoc modo, Obsecro itaq; uos fratres per nomen domi-  
ni nostri Iesu Christi: ut id ipsum dicatis, omnes, (id  
ipsum utique quod acceptum est, & retentum ab ini-  
tio, quod creditum ubique, quod nunquam non est pro-  
batum ab ecclesia, & ab œcumenicis ipsius Conci-  
lijs) & non sint in uobis scismata: sitis autem perfe-  
cti in eodem sensu, & in eadem sententia. In eo enim  
est certissima uia uitæ, semitaq; iustitiæ. Si uerò sint  
in medio uestri, aut surgunt Sectarij, rursum uerbis  
Pauli: Rogo uos fratres: ut obseruetis eos qui dissen-  
siones & offendicula, præter doctrinam, quam uos  
didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi  
enim Christo domino non seruiunt, sed suo uentri: Et  
per dulces sermones seducunt corda innocentium.  
Vestra autem obedientia in omni loco diuulgata est.

2. Thes. 3. c. Id autem rogasse ne parum uideatur, alio loco Thessa-  
lonicenses uelut per auctoritatem sic alloquitur: De-  
nuntiamus uobis fratres in nomine domini nostri  
Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambu-  
lante inordinate: & non secundum traditionem quam

2. Thes. 3. d. acceperunt à nobis. Subiungit nihilominus: Quod si  
quis non obediat uerbo nostro per epistolam, hunc  
notate, & ne commisceamini cum illo, ut confunda-  
tur: & nolite quasi minimum existimare, sed corri-  
pите fratrem itaque præmoniti custodite uos, ne  
insipientes

1. Cor. 1. b

Roma. 16. c

ERRORVM CONFES. CALVIN.

insipientium errore traducti, excidatis à propria  
firmitate : Crescité uerò in gratia & cognitione

Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.

Ipsi gloria & nunc & in diem  
æternitatis Amen.

Hic Liber videtur mihi pius, erudi  
tus, & dignus qui imprimatur.

Michaël de Bay

Magnopere profuerit instaurandæ  
Catholicæ Dei ecclesiæ, hunc librum  
instituendis pastoribus & aduersus gra  
santes passim hæreses obmuniendis  
in lucem dare. VVilhel. Damasci Lin  
danus, Episcopus Ruræmundanus.



THE FIRST PART OF THE HISTORY  
OF THE REIGN OF HENRY THE SEVENTH  
BY JOHN HALL

THE SECOND PART OF THE HISTORY  
OF THE REIGN OF HENRY THE SEVENTH  
BY JOHN HALL









